BULLA REFORMATIONIS

PAULI PAPÆ TERTII

(Alessandro Farnese), Pope

AD HISTORIAM CONCILII TRIDENTINI PERTINENS

CONCEPTA NON VULGATA.

EX CODICE MSCR. NEAPOLITANO DESCRIPTAM

NUNC PRIMUM EDIDIT ANNOTATIONIBUSQUE ILLUSTRAVIT

D. *H. N. CLAUSEN*,

THEOL. IN UNIV. HAUN. P. P. O.

HAUNIÆ MDCCCXXX.

EXCUDIT DIRECTOR *JANUS HOSTRUP SCHULTZ*,

AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

PROSTAT IN LIBRARIA *REITZELIANA*.

Digna quae exemplaribus plenis ac fidelibus asserventur et commentariis accuratis illustrentur semper habita et certe habenda sunt, quae in conciliis ecclesiae acta gestaque sunt, maxime vero in iis, quae, quum oecumenica dicuntur, sacra fidei et disciplinae fulcra ecclesia catholica revereri solet. Inter ea vero insigne et memorabile multis nominibus *Concilium Tridentinum* est, quod gravi principum, theologorum, populorum consensu postulatum, inter auspicia mala communis et civitatum et ecclesiae perturbationis convocatum, per longam annorum seriem tot tantisque Curiae Romanae machinationibus protractum, ut historiam ejus Paulus Sarpius Iliadem temporis sui aptissime vocaret, eo cum effectu tandem ad finem perductum est, ut canones dogmatici Reformatis oppositi magnum Ecclesiae schisma immedicabile redderent, decreta vero disciplinaria, ex quibus abusuum remedia frustra sperata fuerant, regna compluria, ne quid detrimenti caperet respublica civilis, admittere recusarent.

Concilium hoc celeberrimos scriptores nactum est *Paulum Sarpium* Venetum, magnum ingenii, artis et animi libertatis exemplum, et *Pallavicinum* Cardinalem, fidelem Curiae Romanae ministrum, cujus historia ex copia documentorum, quorum usus liberior ipsi concessus est, pretium singulare habet; accedit ex numero Protestantium *C. A. Salig*, diligenti ac sollerti fontium historicorum usu bene meritus. Symbolas deinde multi attulerunt, quorum opera recensuit crisi adjuncta Salig in lib. XV. cap. Xto (inscripto "historia litteraria et polemica Synodi Trident."), cui supplementa et continuationem addidit Jac. Siegm. Baumgarten (l. l.). Prodiit deinde "monumentorum ad historiam Concilii Trident. potissimum il-

lustrandam pertinentium amplissima collectio auct. *Judoco Le Plat*, Lovani 1781–1787," quæ ex voluminibus septem in 4to composita monumenta circiter mille et centum continet; denique "anecdota quædam ad historiam Conc. Trident. pertinentia" edidit s. v. *G. J. Planck* (24 fascic. Gött. 1791–1815), collectio autem declarationum s. congregat. Cardinalium Conc. Trident. Rom. 1821 (8 Voll. in 4to) debetur operæ et studio *J. F. Zamboni*.

Magnus itaque apparatus historicus adest ex libris generis cujusque compositus: litteræ principum, instructiones et mandata legatorum, epistolæ episcoporum, conciones oratorum, theologorum propositiones et disceptationes ex bibliothecis et scriniis eruditorum sensim sensimque in lucem prodierunt, eorum quæ inter subsellia Tridentina acta sunt imaginem vivam et præsentem nobis exhibentes. Sed in tanto monumentorum numero litteræ et bullæ, quæ ex Sede apostolica emanarunt, paucæ admodum publici juris factæ sunt; quæ ut omnium facile gravissimæ sunt, ex quibus plena lux annalibus concilii afferri queat, ita in tabulariis vaticanis adhucdum delitescunt, dracone incubo procul et manus et oculos arcente.

Exemplum afferam.

Concilio Tridentino propositum erat disciplinam collapsam restituere atque reformationem, quam vulgo dicebant, tam in capite quam in membris efficere, quæ objectionibus Protestantium æque ac querelis Catholicorum finem imponere posset. Hoc autem pontifices romani ægre et indigne tulerunt, quum membrorum reformationem sibi reservatam vellent, caput autem ab omni reformatione eximendum esse contenderent, neque intentatum quidquam reliquerunt ut incepta Concilii irrita redderentur. Ita quum in congregationibus inter sessionem Vtam (d. 17 Junii 1546) et VItam (d. 13 Jan. 1547) habitis acriter et vehementer disceptatum est de officio residentiæ episcoporum, periculum haud exiguum Curiæ Romanæ imminere videbatur; etenim episcopi multi præsertim hispani de-

clarationem postulabant, officium residendi esse de jure divino, sperantes, si episcopatus ex jure divino repeteretur, fore ut ipsi ab arbitrio Sedis apostolicæ aliquatenus eximerentur (vid. Sarpi p. 201 sq.). Inde vero Legati pontificis, qui concilio præerant, pejora facile prævidebant, quum instarent quæstiones difficiles et lubricæ de collatione beneficiorum, de unionibus et exemtionibus in sessione VIIma tractandæ; quare, ut animos avocarent ad alia, conati sunt concilium in alium locum transferre; de quo videndus est Pallavicinus (VIII. 15), nisi quod artem et fraudem callide distinguens, prudentiam legatorum laudibus extollit: eos scilicet prævidisse mortem Pauli IIItii prope instantem, atque schisma ecclesiæ timuisse, si jus novum pontificem eligendi fluctuaret inter patres Vaticanos et Concilium supremæ auctoritatis, quod in ditione alius domini habitum est; cui periculo ut obviam irent, maluisse eos concilium in aliud tempus differre. Ipse pontifex vero intellexisse videtur, nondum tempus opportunum adesse concilium transferendi; quare aliam viam tentandam esse putavit, compositâ, dum animi theologorum diversitate sententiarum divisi erant, bullâ, quæ *patres liberaret a curis ecclesiam reformandi, totumque munus difficillimum, quo citius et commodius absolveretur, ad curiam revocaret.*

Vix autem diplomatis hujus mentio in Concilio facta est, quum adeo agitati irritatique animi sunt, ut illud publice proponere Legati non auderent. Rem ita *Sarpius* narravit (ed. lat. 5ta 1658. p. 227): "Mense Februario ineunte (a. 1547) Roma perlatum responsum Pontificis cum diplomate, quod, ipsis legatis nimis amplum visum, tentatum tamen quanta futurum esset validitate, tum re denuo proposita tum eadem sententia, quam Legati antea exposuerant, a suis repetita: nempe propter rerum difficultatem et opinionum discrepantiam esse præstabilius molestia hac Synodum liberare, re omni ad Pontificem rejecta. At præsules cæsarii, etiam ii qui antea causæ huic favere putabantur, confidenter respondent, id consilii cum opprobrio concilii esse conjunctum; quorum sententiæ re-

liquorum plerique accedentes, quæ antea essent dicta replicabant. Legati igitur *id tempus alienissimum esse ad pontificis diploma proferendum conspicati*, Romam rescribunt, nullam subesse spem de toto reformationis negotio ad papæ censuram revocando, sin materiam placeat dividere sibique eam partem sumere quæ magis proprie ipsum attingat, tum bene sperare se, magnum fieri posse operæ pretium." Certe *Pallavicinus*, morosus et iniquus libri Sarpiani censor, erroris eum h. l. graviter accusat (IX. 10): "nihil profecto — ait — seu minus verum seu minus verisimile dici potest; .... sperandumne erat, disciplinæ leges in pontificem rejectum iri, ac si Concilium non exstaret, illudque tantummodo apertum perstiturum ad odiosam definitionem dogmatum conficiendam?" Sed — quod mireris — idem, quum deinde ad rei narrationem transit, verbis dissentiens re ipsa cum Sarpio omnino consentit. Ita habet (l. l.): "Litteræ tunc (mense Febr. 1547) a pont. ad legatos missæ sunt, ab initio anni superioris*) de universa morum emendatione conscriptæ; non quibus ad se *simpliciter eam avocaret*, prout Suavis**) affirmat, sed quibus *per singula capita ordinabat adeoque synodo præibat*, ostendens præire se in illa concilium, non ab eo trahi. His tamen litteris Legati nequaquam usi sunt, existimantes illas neque necessitati neque communi voto satis fore per ea quæ complectebantur (etenim futuris duntaxat prospiciebant, præsentibus haud medebantur), simulque arbitrati, modum illum scribendi minus placiturum; quandoquidem Pontifex indicasset, modicam existentis concilii rationem a se haberi, quum eo inconsulto tantum opus edidisset, cujus gratia nominatim concilium indictum fuerat. Quapropter Paulus in utraque parte ipsorum consilio adhæsit, eamque rationem iniit, ut diploma illud, salutaribus aliis legibus auctum, ipsius

*) Videtur annum a coronatione pontificis numerasse (d. 13 Octobr.); nam diploma — quod infra videbimus — datum est Romæ undec. Kal. Jan. pontificatûs a. 13tio.

**) h. e. Sarpius; cujus historia celeberrima in lucem prodiit a. 1619, sub nomine *Petri Suavis Polani*, ficto ex anagrammate nominis *Pauli Sarpii Veneti*.

concilii judicio committeret. Hujusce diplomatis habetur mentio in quadam responsione Legatis nomine pontificis reddita..... *Verum ne ita quidem, postea amplificatum diploma vulgandum seu proponendum Patribus, censuere.*"

Commemorarunt bullam reliqui rerum concilii scriptores (*Salig* IV. p. 582. *Fleury* hist. eccl. I l. 44. c. 8.), sed ita ut nemo eam cognovisse videatur; neque inter monumenta litteraria postea typis expressa, quotquot mihi inspicere contigit, eam receptam vidi.

Itaque, menses vernales a. 1820 Neapoli commoratus quum in Bibliotheca regia Borbonica inter schedas manu exaratas incidissem in codicem qui numerum habet 459, inscriptum: "Varia ad Concilium Trident. pertinentia", atque invenissem inter alia documenta *bullam reformationis conceptam non vulgatam, datam Romæ 1546 undec. Kal. Jan.*" pro libertate mihi concessa diploma hactenus ineditum describere haud cunctatus sum, quo lacunam in annalibus Concilii celeberrimi expleri posse videbam. Documentum vero tum exscriptum si hac occasione juris publici fecero, facturum me esse spero, quod rerum ecclesiasticarum studiosis jucundum sit neque a ratione festi, cujus solemnia diebus hisce præparantur, alienum.

In ipsa editione vero, ne officio editoris deesse viderer, annotationes historicas addendas curavi, ut quæ de abusibus dicta sunt illustrentur ex aliis seculorum illorum monumentis, ea autem quæ ad emendationem abusuum præcepta sunt conferantur cum regulis antea vel postea constitutis. Ab una parte igitur consultum adii cum libros eorum, qui reformationem ante reformatores præpararunt: *Nic. de Clemangis, Joh. Gersonii, Petri de Aliaco*, tum *expostulationes et gravamina nationis Germanicæ* publice proposita in *comitiis Augustanis* a 1518, in *comitiis Wormatiensibus* a. 1521, plenissime vero in *Norimbergensibus* a. 1522*), ab altera

*) exstant in: *Joh. Wolfii* Lectiones memorabiles et reconditæ. t. II. p. 206-228.

parte vero præter *corpus juris canonici* articulos contuli *Concilio Constantiensi* a collegio reformatorio de emendatione abusuum propositos, *decreta Basiliensia* atque *concordata*, quæ curiam Romanam inter et *nationes Gallicam et Germanicam* facta sunt. Accedunt *articuli reformationis a collegio Cardinalium ex mandato Pauli tertii a* 1537 *exarati* et judicio pontificis novennio ante bullam nostram subjecti *), denique *decreta Concilii Tridentini*, quibus iidem ac in bulla nostra abusus tractantur.

His omnibus autem inter se collatis apparebit, multa silentio prætermissa esse, eorum etiam quæ querelas gravissimas excitaverant (v. c. de jure ecclesiastico et civili male inter se commixtis, de annatis aliisque tributis, quæ sub nomine servitiorum communium, quindenniorum al. ex beneficiis ecclesiasticis Curiæ Rom. solvebantur), ea vero quæ proposita sunt tanta laborare verborum formularumque ambiguitate, ut verbis non ipsa re medelam attulisse censenda sint. Ita vero pretium Reformationi hoc quoque nomine constat atque constabit, cujus beneficia, quum inter nos laudantur, multos habent obtrectatores, monentes, sine tanta rerum perturbatione ecclesiam querelas justas exaudire et qui irrepserint abusus tollere et voluisse et potuisse. Etenim, ne de restitutione doctrinæ evangelicæ loquar — cujus necessitas a Catholicis neque concessa unquam est neque ex principio isto de divina ecclesiæ auctoritate concedi potuit — historia abunde docet, quod exemplo lectorum oculis hic oblato confirmatur, ante tempora Lutheri reformationem institutorum morumque quoties tentata fuerit toties restinctam et oppressam esse, deinde vero, quum salutare opus reformandi in Germania inceptum fuerit, omnia ita esse a Curia Romana perfide et astute tractata, ut species emendationum vana et inanis adesset, quum arbitrio Sedis Romanæ jus et libertas maneret quæcunque facta essent infecta faciendi.

---

*) exstant in Hist. Eccl. *Natalis Alexandri* t. 8. p. 42. s.

Bulla Reformationis concepta non vulgata.

Paulus Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quum ab ipso pontificatûs nostri initio, in quo non Nostris meritis sed divina voluntate et providentia locati fuimus, majus Nobis intelleximus onus esse impositum, quam ut id ferre Nostris humeris possemus, recurrimus statim ad Illum, qui gratiarum largissimus donator nemini unquam exprobrat id quod donavit, ipsumque Deum omnipotentem rogavimus, ut gressus Nostros ipse dirigens rationes eas consiliaque ostenderet, quibus rei christianæ afflictæ et laboranti possemus subvenire; nam et domesticis civilibus bellis rempublicam attritam[1], et eandem potentissimi hostis Turcæ fractam ac debilitatam armis[2], et perniciosas in fide catholica, ex qua præcipue nobis salus est, dissensiones et veterum bonorum morum disciplinam prolapsam multum et perturbatam inveneramus[3].

Igitur patris et pastoris animo officioque adducti, ad omnium horum malorum incommodorumque remedia manum celeriter admovimus, conatique et pacem inter christianos principes conciliare, et sedare ac mitigare schismata[4], et mores lapsos reformare[5]. Quam vehementer et quam diu in his elaboravimus, conscius quidem nobiscum ipse Deus est, sed et homines quamplurimi possunt esse testes.

Verum omnia semper duriora difficilioraque invenimus, quam videbatur esse existimandum. Non commemorabimus nunc impedimenta quæ obstiterunt, satis enim ea per se arbitramur esse nota; illud dicemus, quod res ipsa declaravit, Nos, magnitudinem negotii intuentes Nostrisque viribus non plane confisos, maximum advocasse nobis

auxilium generalis occumenici universalisque concilii, ad quod qui salvam rempublicam christianam et fidem catholicam integram inviolatamque vellent Episcopi, quibusque jus esset dicendæ in concilio sententiæ omnes convenirent.[6] *Ipsi autem concilio, quo germanicæ nationi, quæ pravis quorundam doctrinis et suasionibus aliqua ex parte videbatur abalienata, melius ac propius consuleremus, locum et sedem in ipsorum gente ac natione urbem Tridentum dedimus, ut vicini oecumenici conventûs, in quo semper præesse Spiritum Sanctum omnes, qui in Christum recte credimus, sine dubio confitemur, monitis et auctoritate adducti, si qui a recta via decepti aberrassent, hi ad veterem fratrumque nobiscum consensum et ad catholicæ fidei vexillum se reciperent.*[7]

Sed graves illæ plurimæque difficultates, quæ Nos solos ante impedierunt, etiam nunc cum concilio conjunctos retardant. Ferme enim jam biennium est,[8] *ex quo tot optimorum episcoporum consessus, tam multorum doctissimorum theologorum societas, tantum principum studium atque conatus, qui ad concilium suos nuntios atque legatos miserunt,*[9] *vix longo tempore magno cum labore ita tenues atque exiguos progressus facit, ut non videantur publicæ necessitates tantam tarditatem ac moram posse perferre;*[10] *quæ etiam mora hoc futura est longior, quod aliquid justis de causis non videtur per aliquantum tempus de his rebus in ipso concilio agi posse et tractari.*[11]

Ac Nobis quidem visus fuerat ille agendi et providendi publicis incommodis modus esse rectissimus, si, non Nostra tantummodo auctoritate usi sed cum concilio simul omnia pertractantes, firmam pacem quantum cum Deo liceret inter christianos principes constitueremus, qua pace tecti etiam contra Turcas atque muniti, cetera quæ opus essent agere et curare sine metu possemus, et grandes motus schismataque et dissensiones, quæ in fide catholica essent exortæ, ad sanctam et salutarem concordiam redigeremus (satis intelligentes, nihil omnium re-

rum omnino esse, quod plus possit aut ad salutem nostram, si recte vel ad perniciem, si plane) de fide catholica sentiatur, nobis conferre), cum hac autem de fide et fidei decretis integritate christianæ religionis morum quoque et consuetudinum ecclesiasticarum aut restitutionem bonarum aut corruptarum correctionem conjungeremus. Atque hoc quidem fuerat consilium cogitatioque Nostra; sic enim existimabamus, generali concilio ad medicanda vulnera, quæ in toto corpore christianæ reipublicæ jamdiu inflicta ægrotum illud debileque reddebant, nobiscum conjuncto, neminem fore neque privatum neque etiam principem, qui non se et Nostris paternis et tot catholicorum episcoporum fraternis suasionibus ac monitis regendum plane et persuadendum dederet.*

Sed quum, ut diximus, tardius videantur ista procedere, quæ publica postulat necessitas, Nosque pastoralis sollicitudo atque cura non sinat diutius quædam remedia differre de iis quidem depravatarum consuetudinum emendationibus, quæ in omni pæne regno omnique natione videntur necessariæ, Deo concedente aliàs nunc quidem de Nostræ Romanæ Curiæ nonnullis abusibus corrigendis et reformandis agere incipiemus; qua de re consilio cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus habito diligentique discussione facta, aliqua annotavimus, quæ nobis egere emendatione demonstrata sunt, longus tamen usus retroactorum temporum tanquam legitima et ordinaria retinebat; verum Nos voluimus quemlibet usum quamlibetque consuetudinem semper veritati et æquitati cedere. Ea igitur a Nobis in his litteris descripta et cum suis correctionibus conjuncta, tanquam primitias fructuum bonorum Deo omnipotenti Deique Filio Domino nostro Jesu Christo nec non piis mentibus eorum, qui episco-

*) *Nisi usum nominis h. l. barbarum ex verbo πλανᾶσθαι repetere velis* (vid. du Cange glossar. ad script. med. et inf. latinit.: "*planare:* decipere, in errorem seducere, a gr. πλανάω"), *errore calami credendum est "plane" scriptum esse pro "prave".*

patus curasque ecclesiasticas sibi commissas probe et fideliter volunt administrare, damus atque offerimus, eo animo ingredientes, ut, si de aliis quibuscunque fuerit nobis idem declaratum, quod correctione videlicet et commutatione indigeat, nihil sumus Deo et bonæ conscientiæ et christianæ religionis stabilitati ac veritati unquam negaturi.

*** *** ***

Habita igitur super his cum iisdem venerabilibus fratribus Nostris matura deliberatione, de eorum ut præfertur consilio et assensu, apostolicâ auctoritate statuimus decernimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus ad patriarchales, metropolitanas et cathedrales ecclesias (quibus hi præesse debent, qui in se ipsis ostendere valeant qualiter aliàs in Dei domo oporteat conversari), non eligantur, postulentur, nominentur aut præsententur seu assumantur vel promoveantur personæ nisi vitâ et scientiâ commendabiles ac saltem in XXVIImo suæ ætatis anno constitutæ, neque ipsæ ecclesiæ ætatis defectum patientibus hujusmodi in administrationem seu commendam concedantur[12].

Prælati in XXVIImo anno.

Et quum in aliis etiam sacris ordinibus sit ætatis maturitas inquirenda, conventualia monasteria, parochiales ecclesiæ et alia curam animarum seu administrationem habentia tam secularia quam regularia beneficia ecclesiastica habilibus et idoneis personis, quæ Deo et ecclesiis gratum velint et valeant impendere famulatum, conferantur et commendentur, neque super eodem ætatis defectu citra XXmum annum dispensentur[13].

In monasteriis XX anni.

Neque etiam ipsorum Episcoporum consecratio viduatis ecclesiis non sine periculo proteletur, dispensatio-

nes pro ipsis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis de non suscipiendo munus consecrationis hujusmodi, et pro Rectoribus curatorum beneficiorum (ut illis deservire possint in ordine, quem ipsarum ecclesiarum cura requirit) de non se promovendo ad sacros et presbyteratus ordines, non ultra annum post terminum a jure præfixum et semper sine spe ulterioris prorogationis concedantur[14].

Non concedatur licentia de non promovendo ultra annum.

Utque modus avaritiæ, quæ est idolorum servitus, ponatur his, qui, quum unum officium vix implere sufficiant, diversas ecclesiasticas dignitates vel plures parochiales ecclesias hujusmodi contra sacrorum canonum institutiones recipientes, stipendia sibi vindicant plurimorum: super pluralitate curatorum beneficiorum nonnisi pro nobilibus aut graduatis personis vel ob fructuum tenuitatem, si ex reditibus et proventibus unius commendæ rector se nequeat sustentare, seu aliàs ex alia simili legitima causa, et nunquam ad plures cathedrales ecclesias, et sub eodem tecto consistentia et ultra tria incompatibilia, etiam de uno ex illis ad VI menses seu ad annum vel ad aliud certum tempus dispensetur. Prædictorum etiam beneficiorum uniones ad vitam, quæ palliatam continent dispensationem, non dentur; at beneficia per impetrantem obtenta semper exprimantur, ac commenda eorum beneficiorum eandem inducat incompatibilitatem quam titulus. Uniones etiam perpetuæ, per quas divinus cultus et Ordinarii collatio diminuuntur, non concedantur nisi ex juridica causa, et tunc pro illius verificatione committantur ad partes ipsi Ordinario seu Metropolitano, et constitutioni Nostræ de unionibus committendis ad partes non derogetur[15].

Non dispensetur super pluralitate, nisi ex causa legitima.

Et nunquam ad ecclesias cathedrales vel beneficia sub eodem tecto.

Uniones et commendæ.

Non fiant reservationes beneficiorum viventium.

Beneficia etiam, quæ per senes vel valetudinarios obtinentur, et de quibus ipsi Ordinarii in eorum mensibus disponere possent, ante obitum specialiter non restituentur. Mandata quoque de providendo exspectative, et omnes aliæ præventivæ gratiæ ad vacatura in mensibus apostolicis duntaxat, non autem in ipsorum Ordinariorum concedantur; neque per inhibitiones et irritantia decreta in iisdem gratiis apposita ipsi Ordinarii quomodolibet ipsa beneficia in eorum mensibus prædictis conferre impediantur[16].

Non fiant mandata in præjudicium mensium ordinariorum.

Non dentur regressus nisi de consensu.

Et ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum et beneficium quis se noverit successurum, regressus seu accessus aut ingressus etiam ex resignationis vel cessionis boni juris aut alia onerosa causa, nisi de ipsius resignatarii expresso consensu, ut votum captandæ mortis illius voluntate tollatur, non reserventur[17].

Tollantur regressus et accessus malitiosi.

Aliena beneficia sub fide non concedantur.

Et quia, hominum excrescente malitia, nonnulli beneficia per eos obtenta alteri non libere, ut in supplicatione profitentur, sed ad effectum, ut illi deinde retrocedenti accessus reservetur, resignant, jus accedendi hujusmodi retrocedenti beneficium eidem, a quo habuit, nisi ante retrocessionem hujusmodi possessionem ipsius beneficii assecutus fuerit et in ea ad minus per integrum annum exstiterit, (nec non personis simoniacis, aliena beneficia sub fide — ut ajunt — obtinentibus etiam de cessionarii consensu) non concedatur[18].

Circa Coadjutores.

Coadjutores etiam ut re non verbis fiant, nonnisi habiles et qui vere et actu coadjuvare possint, et possessori tantum ætatis vel infirmitatis aut alia legitima causa seu ratione ipso coadjutore indigenti et nunquam

absque consensu seu cum clausula: etiamsi officium coadjutoris non exercuerit — cum futura successione deputentur[19].

In provisionibus quoque dignitatum ac conventuum ecclesiarum cathedralium, doctoralium seu magistralium, statutis ipsarum ecclesiarum et ab apostolica sede confirmatis ac fundationibus, ut juxta ea litterarum studiis vacare et postea graduati ad illos assumi valeant, non derogetur[20].

Statutis ecclesiarum non derogetur in provisionibus.

Utque ipsorum beneficiorum qualitas et status non de facili alteretur, manualia et ad nutum amovibilia[21] *ad vitam non conferantur; parique ratione abbatissæ triennales seu temporales perpetuæ non confirmentur, neque regularia beneficia in titulum dari solita commendentur*[22].

Manualia ad vitam non concedantur.

Titularia ne commendentur.

Neque, quum non sit in bove et asino arandum, secularibus et e contra, seu unius dioecesis beneficia aliis alterius dioecesis uniantur[23].

Religiosi quoque, ne vestem lino lanaque contextam induant, ad secularia beneficia non dispensentur[24].

Religiosi ad secularia non dispensentur.

Et quum corda quorundam labes simoniaca depravaverit, qui sunt omnino ab ecclesiis sic quæsitis amovendi, super simonia reali et scienter contracta ad beneficium taliter acquisitum non dispensetur[25].

Neque super reali simonia scienter contracta.

Quumque nulli ex eorum dolo lucrum debeant reportare, illis, qui possessores præsertim senes aut valetudinarios indebite molestando lites contra eos malitiose in dicta curia introduxerint, nisi infra biennium a die motæ litis hujusmodi pro eis definitivam sententiam reportaverint, subrogationes in jure possessorum defunctorum

Subrogationes non dentur nisi...

non dentur, sed ipsis petitoribus (constitutione Nostra de non subrogandis non collitigantibus non obstante) novi adversarii per sedem præfatam subrogentur. Et ne impetrantes beneficia conferentem decipere valeant, non detur Indultum de non faciendo mentionem natalium aut alio supplicantis ipsius defectu[26].

Non detur Indultum de non faciendo mentionem natalium.

Regulis etiam seu constitutionibus Nostris de verosimili notitia obitûs ac de idiomate in curatis, neque non de infirmis resignantibus et infra XX dies decedentibus, nisi per XX dies post datum mandatum procurationis ad resignandum supervixerit, ac de præstando consensu in pensionibus, non derogetur[27].

De verosimili notitia.

De idiomate in curatis.

De infirmis resignantibus nisi infra XX dies cet.

De præstando consensu in pensionibus.

Et quum mercenarii digni sunt mercede sua, ac indignum videtur, ut unus consequatur stipendium alter vero suum commodet obsequium, pensiones super quotidianis distributionibus, nisi quando major pars redituum in illis consistit, ac fructibus dictorum curatorum beneficiorum, XXIV ducatorum auri de camera valorem annuum non excedentibus (excedentium vero dummodo pensio medietatem fructuum hujusmodi non excedat, ita tamen ut omni casu summa XXIV ducatorum hujusmodi pro ipsius rectoris sustentatione omnino integra remaneat), non reserventur. Neque facultas transferendi pensiones hujusmodi absque consensu illas solvere habentis concedatur[28].

Non constituantur pensiones super distributionibus, nisi major pars cet. Et non in curato infra XXIV.

Ne transferri possint absque consensu.

Facultatis etiam de non residendo ac de fructibus in absentia percipiendis, nonnisi ex studii seu aliis causis jure communi expressis et nunquam super quotidianis distributionibus, quum tantum his qui intersunt horis canonicis debeant exhiberi, concedantur[29].

Neque de fructibus in absentia et nunquam de distributionibus.

Quilibet etiam ad clericalem tonsuram ac quatuor minores seu alios sacros ordines[30] a suo Ordinario et non alio Episcopo, quum id sit honestati contrarium et a sanctorum patrum institutionibus alienum, promoveantur. Et quia veritas rei plerumque obscuratur mutatione provinciæ, facultates promovendi a quocunque catholico antistite simpliciter (ita ut quilibet etiam merus titularis et vagabundus Episcopus illum forsan minus habilem prece vel pretio seu aliàs indebite ordinare possit) non dentur. Sed quum non omnes episcopi in propriis ecclesiis resideant, qui eorum clericos ordinare possint, aliquaque probabili ratione ipsi clerici a proprio antistite ordinari seu ad eos forsan ab ipsis longe distantes pro commendatoriis vel dimissoriis litteris[31] accedere nequeant, ex Nostra et dictæ sedis auctoritate promoveri cogantur, expressa tunc per ipsum oratorem legitima et verisimili causa, facultates promovendi hujusmodi ab antistite in propria dioecesi residente seu in ea Pontificalia ex ipsius Episcopi consensu exercente tantum concedantur. Neque aliquis Patriarcha, Archiepiscopus et Episcopus, vigore cujusvis facultatis sibi de promovendo quoscunque concessæ seu concedendæ, alienæ dioecesis clericum et sibi non subditum sine proprii episcopi licentia promovere valeat[32].

Non promoveantur nisi ab ordinario vel in ejus defectum.

Nostri etiam et dictæ sedis Nuncii, prætextu cujusvis indulti eis pro tempore concessi, super dicto ætatis defectu ac pluralitate incompatibilium beneficiorum hujusmodi, et nisi pro pauperibus super gradibus ad contrahendum matrimonium prohibitis[33] seu aliis defectibus dispensare, et licentiam promovendi a quocunque et extra tem-

Nuntii non possint dispensare.

pora concedere[34], *ac super criminibus, in quibus ordinarius prævenit, absolvere non possint*[35].

Neque hospitalarii.

Hospitale etiam S. Spiritûs in Saxia de urbe[36] *et omnia alia pia loca tam in dicta urbe quam extra ubicunque locorum existentia eorumque hospitalarii, commendatarii seu gubernatores, vel officiales fabricæ basilicæ S. Petri*[37] *per ejus deputatos in dicta urbe quoad loca et personas citra montes existentia et ultra montes etiam per eorum commissarios... (desunt nonnulla)..., ac expeditione cruciata in regnis Hispaniarum duntaxat exceptis*[38], *aliquam dispensandi seu absolvendi in foro facultatem non habeant*[39].

Non concedatur jus patronatûs nisi...

Jus patronatûs, nisi ex fundationis vel dotationis aut (si fructus beneficii ita tenues exstiterint, quod ad victum rectoris seu ipsius ecclesiæ destructæ reparationem non suppetant) reædificationis seu augmenti dotis — non tamen citra dimidiam veri valoris ipsius beneficii — causa, non concedatur; ipsique laici idoneum et per ipsos episcopos tantum, ad quorum auctoritatem id jure noscatur pertinere, et non alios instituendum præsentent[40].

Non detur licentia standi extra monasterium sine consensu superioris.

Religiosis utriusque sexûs professis, qui juxta eorum regularia instituta in communi vivere et non extra claustra vagari debent, non detur licentia standi extra monasteria sine superiorum suorum consensu, neque, quum sine alterius injuria et jactura quis debeat locupletari, facultas testandi in monasterii præjudicium[41].

Ne procurationes exigantur cet.

Et quum procurationes, quæ ratione visitationis episcopis et aliis visitatoribus debentur, nullatenus nisi quando ipsi personaliter visitatoris officium impendunt, exigi debeant, ac plerique officium hujusmodi exercentes quærant quæ sua sunt non quæ Jesu Christi, indultum visitandi

per alium non nisi pro legitime impedito, et nunquam quod solitæ procurationes solvi ipsis Episcopis seu Superioribus, et in pecunia numerata recipere possint, concedatur[42].

Notarii et acoliti quales creandi.

Notarii et Acoliti dictæ sedis, quos pro eorum officio et dignitate probos et honestos esse decet, nisi nobiles aut graduati fuerint, non creentur.

Familiares in partibus moram trahentes non gaudeant cet.

Nostri etiam aut eorundem Cardinalium familiares in partibus, pro eorum negotiis moram trahentes tanquam animum revertendi non habentes, a jurisdictione sui Ordinarii non sint exemti[43].

Condemnati ab ordinariis non absolvantur.

Homicidæ et alii delinquentes, postquam ab eorum Ordinariis fuerint condemnati, cum cassatione processuum non absolvantur, et nunquam ipsi homicidæ ad altaris ministerium, a quo ut viri sangvinis debent avelli, nisi ad eorum defensionem et mortem evadere non valentes homicidium perpetraverint, habilitentur[44].

Si in evidentem, committatur ordinariis.

Causæ quoque super alienatione bonorum ecclesiasticorum, quæ, nisi pro ipsius ecclesiæ necessitatibus seu evidenti utilitate, fieri prohibentur, committantur locorum Ordinariis[45]*; ad quos pertinet.... (desunt nonnulla)... teneri, seu ex causa aut si per ipsos Episcopos, quibus etiam ex fidelitatis solito sacramento alienare non licet, contractus alienationis fuerint celebrati.*

Metropolitanis in causis quoque visitationis, correctionum et examinis habilitatis vel inhabilitatis ac criminalibus, quæ per ipsos Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos in partibus cognoscuntur (ne ex eorum, quorum est fugere, fictis querelis, quum non sit eorum malitiis indulgendum, delicta remaneant impunita, seu eorum

Inhibitiones ordinariis non dentur, nisi causa cognita.

debita animadversio differatur), non dentur nisi causâ cognitâ, aut quibusvis etiam dictæ curiæ Romanæ judicibus tam ordinariis quam delegatis quacunque auctoritate fungentibus[46]*, inhibitiones in causis hujusmodi appellationum a gravaminibus nisi irreparabilibus tantum seu definitivis sententiis*[47]*; ac beneficiales et ecclesiasticæ causæ, quæ summam annui valoris XXIV ducatorum de camera secundum omnem æstimationem, computatis tamen quotidianis distributionibus, non excedant, in quibus pauperes clerici necessaria litium dispendia ferre nequeant, non in dicta curia sed tantum in partibus committantur*[48]*.*

Causæ beneficiales ducatos XXIV infra committantur in partibus.

Quum etiam os bovis ligari non debeat triturantis, ex quo servitiis ecclesiarum deputatis non adeo exigua portio est relinquenda, quod ex ea nequeant congrue se sustentare, Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi prædicti, qui in redditibus ultra ducentos, et clerici ultra XXIV ducatos similes annuatim non habuerint, neque non quorumcunque ordinum fratres seu moniales in communi viventes, nisi deductis prius pro ipsorum vel ipsarum necessario victu, aliàs juxta certas felicis recordationis Clementis VII prædecessoris nostri ac nostras desuper emanatas litteras competenti portione decimis, subsidiis et quibusvis oneribus extraordinariis, etiam a Nobis et dicta Sede ex quavis urgentissima et necessaria causa et ad quorumcunque etiam Imperatoris et Regum instantiam impositis et imponendis, non graventur[49]*.*

Decimæ non exigantur ab his prælatis, qui non habent ultra CC., et a clericis ultra XXIV, neque a monachis.

Ipsi quoque Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi, ne extra eorum ecclesias in episcopalis dignitatis opprobrium vagari cogantur, ad personaliter in dicta Ro-

Prælati non citentur ad comparendum personaliter nisi ex causa cet.

manta curia comparendum nisi ex causa, qua de jure privandi seu deponendi venirent, non moneantur[40].

Utque ipsi Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi, quod in propriis ecclesiis residere, et semper onus eis injunctum, per quod in partem sollicitudinis a Nobis sunt vocati, adimplere decet, propensius id faciant, quo majori auctoritate sint præditi, quod iidem Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi in eorum ecclesiis, civitatibus, dioecesibus commorantes, in VI anni, videlicet Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri et Decembri, mensibus beneficia ecclesiastica, et quoad curata, tantum etiam Nobis et dictæ Sedi ratione notariatûs vel acolitatûs apostolici ab ejusdem Sedis Legatis, etiam Cardinalibus et Nuntiis hujusmodi, non tamen per Nos aut Romanos Pontifices pro tempore concessa vel concedenda, seu commenda etiam a Nobis et dictis Romanis Pontificibus, non tamen de vacantibus apud dictam Sedem, reservata et affecta, ac etiam litigiosa, quando contra possessores ultra decimum lis coepta calumniosaque protracta duraverit, ad eorum collationem conjunctim vel divisim spectantia conferre et de illis etiam providere ac disponere[41];

Sex menses prælatorum residentium.

Neque non, ne in omnium eis creditarum generali animarum cura eis commissa quomodolibet impediantur, quoscunque parochialium et curatorum beneficiorum hujusmodi rectores, et quibus per Nos aut Romanos Pontifices seu Legatos et Nuncios prædictos provisum fuerit, nisi per seipsos resederint in beneficiis hujusmodi, per moribus ætate ac scientia idoneos substitutos et sacerdotes deservire, ac eisdem deservientibus competens sala-

Possint deputari Substituti loco non residentium.

rium seu mercedem assignari faciendum, et per fructuum subtractionem cogere, seu aliàs eorum arbitrio super hoc opportune providere[52];

Ac ne exemtiones, quæ ad bona liberius facienda, non ad mala impune perpetranda dari consueverunt, ex facilitate nemini facultatem tribuant delinquendi, ac per illas gubernaculum disciplinæ contemnendo religio naufragetur, quæcunque

Visitare exemtos;

tam virorum quam mulierum monasteria ac domos et ecclesias ac pia loca, etiam hospitalia, non tamen per mere laicos regi solita[53], *neque non ecclesiasticas personas tam regulares quam seculares, quæcunque non exemta et Nobis et dictæ Sedi immediate subjecta — universitatibus generalium studiorum ac capitulis, a primæva erectione seu a tempore immemorabili citra in quasi possessione exemtionis existentibus, particularibus personis ac capitulis et universitatibus, collegiis, ex litis et sententiæ seu alia legitima et rationabili causa a persona ipsius Episcopi ad tempus et causa durante exemtis, duntaxat exceptis — visitare, et tam in capite quam in membris reformare, ipsasque personas juxta canonicas sanctiones debite punire et castigare, etiam si eadem monasteria, domus, ecclesiæ et alia loca nec non personæ alios Superiores habuerint, dummodo tunc ipsi Superiores in competenti termino eis per ipsos Pa-*

Punire Religiosos delinquentes extra claustra;

triarchas, Archiepiscopos et Episcopos assignando id facere recusaverint seu distulerint[54]; *ac quoscunque Religiosos extra eorum claustra publice delinquentes, etiam eorum Superiore inrequisito, debitis poenis affligere*[55];

Neque non, ut ipsi Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi juxta eorum nomen his, quibus præficiuntur, superin-

Removere inhabiles a confessionibus et ordinibus;

tendant, eosdem religiosos ac seculares sacerdotes etiam exemtos hujusmodi, quos ad confessiones audiendum seu ad al-

taris ministerium minus habiles et capaces repererint, etiam si vigore facultatum a Nobis et dicta Sede hujusmodi concessarum promoti fuerint, ab audiendo confessiones hujusmodi et ordinum ipsorum exercitio ad tempus, de quo eis videbitur, suspendere seu aliàs illis, ne confessiones hujusmodi ut præfertur audiant et in altari ministrent, interdicere[56];

Ecclesiastica quoque interdicta in eorum ecclesiis, civitatibus et dioecesibus servari facere, ac quibuscunque etiam regularibus personis, ne dicto interdicti tempore etiam prætextu quorumcunque privilegiorum missas et alia divina officia alta voce et januis apertis ac pulsatis campanis celebrare seu celebrari facere et illis interesse audeant, inhibere[57]; Interdicta servare.

Ac hospitalarios et hospitalium quorumcunque, et quæ per dictos laicos reguntur, administratores ad ipsam hospitalitatem, juxta ipsorum hospitalium facultates ac fundationes et instituta servanda, compellere[58]; Compellere ad servandum hospitalitatem.

Neque non etiam fabricæ S. Petri et cruciatæ prædictæ commissarios litterarum ignaros et imperitos seu aliàs ad commissariatûs hujusmodi officium inhabiles, et dicti hospitalis S. Spiritûs et S. Sebastiani extra et prope muros dictæ urbis, nec non S. Bernhardi montis, item S. Bubonis aliàs boni, S. Augustini et cisterciensis et forsan aliorum ordinum Viennensis, Seducensis et Terdonensis dioecesium, nec non S. Leonardi et quorumcunque aliorum monasteriorum, ecclesiarum, hospitalium et piorum locorum[59] *questores aliàs quæstuarios, nisi vere eorum ordinum professores et eosdem ordines expresse professi fuerint neque cum populi præsertim scandalo et abominatione officia hæc exerceant vel eorum facultatibus abutantur, prohibere libere et licite possint et valeant*[60]. Coercere quæstuarios.

Nos enim quæcunque privilegia, indulta et facultates Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis prædictis alienos clericos promovendi, ac eisdem, Nunciis, hospitalibus locis eorumque hospitalariis, commendatariis, gubernatoribus, officialibus ultra præmissa dispensandi et absolvendi, ac laicis non idoneos aut alteri dioecesaria præsentandi, et quibuscunque judicibus etiam dictæ curiæ aliter inhibendi et procedendi ac monendi concessa, revocamus et annullamus; ipsisque Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis prædictis ut præfertur residentibus in dictis VI mensibus eadem beneficia conferendi et de eis providendi et in curatis beneficiis de idoneo substituto et sacerdote providendi, ac monasteria, domos, ecclesias et loca ac personas hujusmodi visitandi, reformandi, corrigendi ac puniendi, nec non dictis confessoribus et presbyteris confessiones et altaris ministerium interdicendi, ac in hospitalibus prædictis hospitalitatem servari faciendi, ac commissariis fabricæ et cruciatæ hujusmodi, nec non quæstoribus aliàs quæstuariis præfatis, nisi vere ordinum suorum prædictorum professores ac eosdem ordines expresse fuerint professi, commissariatûs ac quæstuandi exercitium ac abusum facultatum suarum prohibendi, omniaque præmissa et singula alia desuper necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exercendi, plenam et liberam per præsentes dicta auctoritate facultatem et auctoritatem concedimus. Decernentes, sic in præmissis omnibus et singulis per quoscunque judices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores[61] ac eosdem Cardinales in quavis causa et instantia — sublata eis

et eorum cuilibet quatenus aliter judicari et interpretari facultate et auctoritate — judicari et definiri debere, et irritum et inane quidquid secus super his scienter vel ignoranter a quoquam, etiam a Nobis, contigerit attentari.

Et nihilominus eosdem Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos monemus et in Domino hortamur, in hoc eorum conscientiam onerantes, ut, nisi legitimo impedimento aut in ipsius concilii prosecutione detenti fuerint, in eorum ecclesiis resideant et per se ipsos ministretur; aut, si propter corporales invaletudines seu alias legitimas occasiones id peragere seu adimplere nequiverint, viros doctos probos et idoneos, per quos plebes sibi commissas visitent ac inibi verbo et exemplo ædificent, assumant; ac eorum subditos et alienos, a Nobis et dicta Sede de se ab eis promoveri faciendum licentiam habentes, nisi bonæ famæ ac aliàs habiles et idonei juxta juris communis dispositionem fuerint, minime promoveant[62]*, suorum etiam clericorum actus et mores in melius reforment, et ipsos, ut divinis officiis non negotiis secularibus insistant ac habitum clericalem et tonsuram gestent, commoneant, illosque delinquentes, qui post monitionem hujusmodi in habitu incedere recusaverint, si clericali tantum charactere insigniti fuerint*[63]*, ut tanquam laici et clericali privilegio indigni juxta statuta et consvetudines patriæ puniri nequeant, non defendant. Laicos tamen aliter ecclesiasticam jurisdictionem usurpare ne permaneant*), aliaque ad eorum pastorale officium spectantia et pertinentia debite peragant et adimpleant.*

*) *Suspicor legendam esse "permittant".*

Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII, etiam prædecessoris nostri, quæ incipit sibi contra quos, et quibusvis aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus ac synodalibus et generalibus conciliis, nec non Nostris ac quibuscunque Cancellariæ apostolicæ regulis[64] pro tempore editis, nec non quibusvis privilegiis, indultis, exemtionibus, facultatibus et litteris apostolicis, etiam in forma brevis et mari magno nuncupatis, ac confessionalibus[65] per quoscunque romanos pontifices prædecessores Nostros ac Nos et Sedem prædictam quibuscunque personis — etiam laicis et ecclesiasticis tam secularibus quam quorumvis ordinum regularibus cujuscunque dignitatis, statûs, gradûs, ordinis vel conditionis existentibus et quacunque, etiam Episcopali, Archiepiscopali aut quavis alia majore dignitate, etiam Cardinalatûs honore, seu etiam mundana, imperiali, regali, reginali aut quavis alia auctoritate seu excellentia fungentibus, etiam Nostris et dictæ Sedis Nunciis etiam cum potestate Legati de latere[66] aut etiam Regentis de latere[67] ac magno Poenitentiario[68], nec non cruciatæ et quibusvis etiam dictæ S. Petri basilicæ et ecclesiis ac earum fabricis, nec non hospitalibus et aliis tam piis quam non piis locis, ordinibus, congregationibus et ministris, nec non quibusvis etiam dictæ curiæ tam ordinariis quam delegatis judicibus, sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis etiam motu proprio aut ex certa scientia ac de apostolicæ potestatis plenitudine, aut ad quorumvis etiam Imperatoris et Regum, Ducum et aliorum Principum instantiam seu

eorum contemplatione vel intuitu, etiam de personis undecunque venientibus ad primam tonsuram et alios minores ac etiam sacros et presbyteratûs ordines promovendis, et personis ad beneficia ecclesiastica quovis modo qualificata aliisque locorum aut ipsorum beneficiorum collatoribus ordinariis præsentandis seu quibuslibet personis ad dictam curiam citandis et eis inhibendis, ac contra quascunque personas procedendo, nec non dicimus a quibusvis episcopis et clericis, nullo ecclesiarum aut beneficiorum ecclesiasticorum valoris aut responsionum, mensarum episcopalium, ecclesiarum aut beneficiorum hujusmodi habito respectu, indifferenter erigendis — etiam pluries concessis aut iteratis vicibus approbatis etiam invocatis. Quibus omnibus — etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma servanda sit — illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum statuti, decreti, ordinationis, revocationis, concessionis, monitionis, hortationis et derogationis infringere vel ei causa temeraria contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis

Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1546 undecimo Kal. Jan. Pontificatûs nostri a. 13mo.

Bulla Reformationis composita non tamen edita.

---

1. Indicantur bella funesta, quæ per annos viginti et quod excurrit (a. 1521–1544), pacis intervallis aliquot interpositis, gesta sunt inter filios ecclesiæ potentissimos *Carolum V* "defensorem et advocatum ecclesiæ" et *Franciscum I.* "regem christianissimum". In his quum P. *Clemens VII* ob foedus cum rege Galliæ initum Romam vidisset a copiis imperatoris duce Carolo Borbonio oppugnatam seque cum cardinalibus in mole Hadriani obsidione inclusum (a. 1527), *Paulus III* successor ejus, propius cum imperatore conjunctus, partes mediatoris egit, eoque cum successu, ut induciæ a. 1538 Niceæ oppido Liguriæ conciliarentur. Verum quadriennio post (mense Julio a. 1542), quum ante mensem fere unum concilium Tridentinum indictum fuit, bellum iterum inceptum est, cui finem denique pax Crepiacensis imposuit a. 1544. Vid. Sleidan. de statu relig. et reip. Car. V cæsare (ed. am Ende) I p. 343 s. II p. 121. 272. 354 al. Thuan. hist. sui temp. l. I c. VII–XIV. Bowers Hist. d. röm. Päbste X p. 156. 171.

2. *Soliman II*, magnus ille Turcarum imperator, Christianorum flagellum per quinquaginta pæne annos continuos (a. 1519–1566), non solum Carolo V et regibus Hungariæ Ludovico II et Ferdinando I hostis atrocissimus erat; sed, victoria Mohacensi a. 1526 reportata, quum Vindebonam obsidione cinxit (a. 1529) et provincias Hungariæ et Austriæ sæpius depopulatus est, oras Italiæ etiam classibus infestavit, Europæ, ecclesiæ, religioni christianæ auguria tristissima videbantur adesse. Plenæ

igitur litteræ pontificum, imperatoris principumque Germaniæ querelarum sunt et exhortationum, ut Christiani omnes arma et pecuniam ad hostem communem debellandum conferrent (vid. Raynaldi ann. eccl. a. 1515 n. 39. 67. 78. a. 1516 n. 105. a. 1517 n. 37. 39. a. 1519 n. 61. a. 1522 n. 27. 110. a. 1522 n. 4 al.); sed obstabat temporum ratio, quum in Germania dissensu religioso animi divisi essent, et perfidia regis christianissimi, qui cum gravi justaque piorum omnium offensione non recusavit cum hoste nomini christiano infestissimo de foedere pangendo tractare. Vid. Sleidan. I p. 339, 40. 379. 487. II p. 103 s. 236. 240 ss. 269 al.

3. Id quidem per se verissime dictum. Sed quum intelliguntur h. l. dissensiones dogmaticæ Luthero et Zwinglio auctoribus motæ, tantum abesse constat, ut vetus bonorum morum disciplina dici possit per seu propter illas collapsa, ut causa depravationis communis ex ipsa doctrina fidei per secula obedientiæ coecæ depravata repetenda sit. Recte igitur reformatores, ut abusus disciplinæ tollerentur, initium faciendum esse viderunt ab articulis fidei lustrandis ac restituendis; neque, nisi eos contigisset ad puros limpidosque S. Scripturæ fontes revocare, credibile est, institutis disciplinariis vim et usum restitui potuisse.

4. Respicit ad legatos sæpius in Germaniam missos, qui de motibus ecclesiasticis cum Protestantibus tractarent. Ita *Paul. Vergerius* a. 1535, *Episcopus Aquensis* a. 1537 cum Johanne Frederico electore Saxoniæ cumque Luthero ipso colloquia habuerunt; neque in conventibus Ratisbonensi a. 1541 et Spirensi a. 1542 legati deerant, adducti rationibus politicis, de quibus mox infra videndum, qui nomine pontificis suaderent omnia concilio futuro submittere, *Casp. Contarenus* cardinalis et *Joh. Moronus* episc. Mutinensis. Vid. Sleidan. I p. 519. 534 ss. II p. 76. 205 s. 257 s. Pallavicin. p. 159. 164. 170. Bower X p. 154. 165, 67.

5. Certe reformandi studium et voluntatem Paulus plus semel declaravit. Vix electus est Pontifex, quum in congregationibus et consistoriis primis habitis necessitatem ostendit curiam romanam nominatim sacrum

cardinalium ordinem reformandi (Sarpi hist. du conc. de Tr. trad. p. la Houssaye p. 68. Pallavicin. p. 122. Sleidan II p. 50). Deinde anno 1536 mense Julio libello edito consilium professus est Romam, totius orbis christiani caput et doctrinæ morum atque disciplinæ magistram, ab omnibus sordibus et vitiis purgandi, ut ecclesiis reliquis exemplo honesto præiret; in hujus officii et sollicitudinis partem adjutores et socios cardinales quinque et tres episcopos sibi adjunxit, quibus mandatum est ut morbos ecclesiæ cognoscerent et cognitis medelam afferrent. Consilia delectorum cardinalium et prælatorum de emendanda ecclesia conscripta et exhibita sunt anno eodem, typis excusa Romæ et Coloniæ 1538. Hæc omnia vero cum quanam animi sinceritate a pontifice acta fuerint, eventus rei mox docuit; certe ultra verba res nunquam progressa est.

6. Quid de modestia illa tenendum sit, quod Paulus III, viribus suis diffidens, ad auctoritatem concilii confugerit, inter omnes facile constat. Nam quod Lutherus, ex quo primum de doctrina fidei vehementius disputari coeptum est, ad concilium generale provocare ausus est a. 1518, deinde 1520 (Walch. XV p. 796. 1909), Leo X gravissima cum indignatione excepit, qui ex decreto Pii IIdi in concilio Mantuano d. XV Junii a. 1459 constare monuit, appellationes a pontifice ad concilium factas irritas existimandas esse (Bullar. rom. ed. Luxemb. I p. 610). Sed quum principes et civitates, qui causæ Lutheri addicti erant, in eadem petitione persisterent, provocationem ad concilium generale sæpe et solenniter repetentes (in comitiis Norimbergæ a. 1522 et 1524, Spiræ a. 1529 et Augustæ Vindelicorum a. 1530 in præfat. Confess. Aug.), ipse Carolus V imperator, ut turbæ in Germania indies crescentes componerentur, iis assensus est, cum litteris scriptis tum colloquiis Bononiæ habitis a pontifice petens, ut concilium mox convocaret (Pallavicin. p. 81. 99 s. 104. Sarpi p. 47 s.); in quo deinde a. 1531 Franciscum I socium et adjutorem nactus est (Sarpi p. 56 s.). Illis Clemens VII diu et

constanter se opposuit, exemplis Concilii Constantiensis et Basiliensis edoctus, quantum ex episcopis sub auspiciis imperatoris congregatis potestati pontificis periculum immineret (Sarpi p. 47 s. Pallavicin. p. 99. 104); tandem vero duræ necessitati cedendum esse vidit, veritus ne opus reformationis concilio cuidam nationis germanicæ committeretur, suprema sedis romanæ auctoritate spreta et neglecta; quare voluntatem promtam concilium convocandi litteris imperatori principibusque datis sæpius contestatus est (Pallavicin. p. 114, 15). Neque aliter, quum interea Clemens mortuus est (a. 1534), Paulus IIItius; qui paucis post electionem diebus cardinales tres elegit, qui de rebus ad concilium necessariis præparandis deliberarent (Pallavicin. p. 122. Sarpi p. 68), deinde anno proximo imperatorem, regem Galliæ et Protestantes nuntiis missis rogavit, ut sibi in opere pio peragendo præsto adessent (Pallav. p. 123 s. Sarpi p. 69), denique bullis duabus (2 Jun. 1536 et 8 Octob. 1537, vid. Pallavicin. p. 128. 136) concilium rite et legitime indixit. Idem vero, inter hæc omnia strenue et studio sincero ut videbatur peracta, magnâ rerum civilium et ecclesiasticarum perturbatione, continuis præsertim Carolum inter et Franciscum bellis callidissime usus est, ut concilium, quoties indictum esset, toties in tempus commodius quod dixit prorogaret, quin etiam diplomate dato d. 31 Maji a. 1539 (Pallavicin. p. 150) ad beneplacitum sedis apostolicæ suspenderet. Denique quum in comitiis Ratisbonensibus a. 1541 imperator et principes Protestantium communi consilio decrevissent, nisi concilium generale mox convocaretur, ut res ecclesiasticæ in conventu sive comitiis nationis germanicæ tractarentur, tergiversationibus curiæ romanæ finis videbatur adesse; verum ne sic quidem astutia consilii deerat; indicto enim concilio bullis publicatis primum d. 22 Maji 1542, deinde d. 19 Novemb. 1544 (Pallavicin. p. 171. 189), nondum vero incepto, bulla exiit d. 22 Febr. 1545 (Pallavicin. p. 197), quæ legatis pontificis jus et potestatem dedit concilium, prout visum est ipsis, in alium quemcunque locum

transferendi; ita namque, si forte disceptationes sedi romanae graves et molestae exorirentur, silentium tempore opportuno, specie honesta tamen servata, imponere liceret."

7. Locum concilii habendi quod attinet, Clemens VII, post rem cum Caesare Bononiae deliberatam, diplomate d. 20 Febr. 1533 per legatum electoribus Germaniae exhibito (exstat apud Seckendorf. l. III sect. 7 § 17) declaravit "unam ex his tribus civitatibus, id est *Mantuam*, *Bononiam*, *Placentiam* omnibus aliis esse praeferendam, quarum unaquaeque cum tuta, capax, fertilis et salubris sit, vicinitate sitûs Germaniae magis quam ceteris omnibus transalpinis nationibus commoda". Cui ordines Protestantium Smalcaldiae congregati sese opposuerunt: "gravissimis de causis decretum esse factum, ut in Germania fieret concilium, verum ista pontificis postulata pugnare omnino cum Imperii decretis, quae principum atque Caesaris sint obsignata signis" (Sleidan. I p. 494 s.). Deinde a. 1535 Paul. Vergerius a Paulo IIItio in Germaniam missus ut de concilio cogendo ageret, electori Saxonum significavit: "pontifici gravibus de causis *Mantuam* solam placere" (Sleidan. I p. 535); sed principes protestantici civitatumque legati Smalcaldiae iterum collecti in urbem Italiae convenire recusarunt, respondentes "remp. christianam opus habere pio liberoque concilio, seque ad ejusmodi conventum provocasse" (ibid. p. 539, 40). Nihilo minus bullâ d. 2 Junii 1536 editâ concilium indictum est primum *Mantuae*, "loco fructuoso et opportuno", (protestantibus in conventu Smalcaldensi a. 1537 id recusantibus ceu "opportunum ad injuriam et omnino tale, quod dicendi libertatem impediat" (apud Sleidan. II p. 88–97)*), deinde propter difficultates a duce Mantuano objectas (de quibus vid. Pallavicinum p. 132–34) diplomate d. 8 Octb. 1537 *Vicentiae* urbe Venetorum; sed iterum locum mutandi aderat necessitas, quum Venetiani Solimanno, cum quo pacem habebant, suspicionem movere metuerent (Seckendorf. p. 369).

*) Scripta Lutheri de concilio libero convocando vid. apud Walch. XIX p. 2196–2212.

Et sic tandem concilium indictum est "in civitate *Tridentina*, loco commodo et libero omnibusque nationibus opportuno" (bulla d. 22 Maji 1542), ne Protestantibus videretur recusandi ratio superesse; quum urbs in finibus Germaniæ sita et sceptro imperatoris subjecta esset.

8. Numerantur anni non a tempore concilii inchoati (nam sessio prima habita est d. 13 Decemb. 1545, uno fere anno ante bullam nostram conceptam), sed a tempore mandatis pontificis constituto; primum enim dies 15 Martii, deinde dies 3 Maji a. 1546 indictus erat (Pallavicin. p. 189. 196); quare Legati pontificis, quum d. 13 Mart. Tridentum solenniter ingressi sunt, menses novem integros cum episcopis paucissimis inter præparationes concilii exiles inutiliter terebant (Sarpi p. 104. ss.)

9. Concilio finito decretis subscripserunt 255 prælati: Legati 4, Cardinales 2, Patriarchæ 3, Archiepiscopi 25, Episcopi 168, Abbates 7, Procuratores absentium cum legitimo mandato 39, Generales ordinum 7 (Pallavicin. p. 337 *); accedunt Legati Cæsaris, Regis Romanorum, Regis Galliæ, et reliquorum ultra citraque montes regnorum catholicorum. Sed tantus nominum numerus et splendor parva habuit initia; nam præter tres legatos pontificis: *Joh. Mariam Montanum*, card. episc. Prænestinum (qui inde ab 1550 papa electus est nomine Julius III), *Marcellum Cervinum*, card. presb. Sanctæ Crucis (ab a. 1555, accepto nomine Marcelli II, successorem Julii), et *Reginaldum Polum* (qui a 1553 creatus est pontificis in Anglia Legatus) in prima sessione d. 13 Decemb. 1545 nondum aderant nisi 25 episcopi cum eorum theologis, in secunda d. 7 Jan. 1546: 4 archiepiscopi, 28 episcopi, 3 abbates, 4 generales ordinum, cum 20 fere theologis, et legati regis Romanorum (Sarpi p. 105. 120. 128); Jac. Mendoza legatus Cæsaris ante initium concilii Tridento discessit Venetias (Sarpi p. 112), legatus regis Galliæ ad sessionem quintam (Sarpi p. 170), legati vero principum reliquorum serius aderant.

*) Nomina eorum omnium, qui sub Pio IV concilio adfuerunt, exstant apud Labb. XX p. 197-205.

10. Cunctatio illa, quamquam non immerito notata, vera ratio bullæ componendæ nullo modo censeri potest; nam quum in tribus primis sessionibus (d. 13 Dec. 1545 — d. 7 Jan. 1546) nihil actum est præterquam quod concilium declaratum et proclamatum est rite inceptum, sueta pietatis officia et exercitia indicta sunt inter publicam symboli romani recitationem, in sessione quarta (d. 8 April 1546) et quinta (d. 17 Jun. 1546) decreta gravissima edita sunt: de canone S. Scripturæ, quo libri apocryphi cum canonicis eodem in loco et ordine ponuntur, de versionis Vulgatæ auctoritate et usu normali, de peccato originali atque de reformatione quoad lectiones S. Scripturæ in ecclesiis instituendas; quibus editis alia decreta momenti haud inferioris præparabantur: de justificatione, fide et bonis operibus, atque de residentia clericorum nominatim episcoporum. Verum enimvero ut in concilio omnia, licet tarde et cunctanter, votis curiæ romanæ celerius acta et pertractata sunt, ita verba bullæ quæ mox sequuntur veram ægritudinis et indignationis rationem produnt.

11. "Causas justas" intellige h. l. pericula quæ potestati papali exoriri videbantur ex rebus nimia cum libertate inter patres concilii deliberatis. Vid. supr. p. 2, 3.

12. In numero annorum ætatis legitimæ constituendo diploma recedit ab usu decretis ecclesiæ vetustioribus sancito. Etenim quum seculis prioribus regula certa non observata fuisse videtur (exempla vid. apud Bingham. orig. eccl. I p. 143 s.), deinde canonibus (dist. 77 c. 7 dist. 78 c. 1. 2. 4.) *annum XXXmum* positum esse videmus terminum, infra quem Presbyterum nedum Episcopum eligere nefas habebatur, nisi exceptionem necessitas exigeret (dist. 78 c. 5); ex decreto Viennensi vero a 1311 (Clem. l. 1 tit. 6 c. 3) *annus XXVmus* ad ordines Presbyteratûs sufficit; de Episcopatu nihil præcipitur. In *Concilio Constant.* vero distinctum est a Collegio Reformatorio inter Episcopos et Presbyteros, ut in illis 30 anni, in his 25 requirantur, concesso tamen pontifici M. jure dispensandi in tribus annis infra ætatem legitimam: in episcopo si exple-

verit annum 27 m., in abbatibus et curatis, si annum 22 m. attigerint. (Labb. XVI p. 1063). *Concilium Trident.* rem arbitrio collatorum reliquit nisi quod "ætatem maturam" simpliciter et indefinite in regimine ecclesiarum cathedralium postulavit (Sess. VII de ref. c. 1).

13. De abusibus in ordinatione Clericorum vehementer conquesti sunt, post gravamina nat. germ. a 1522 n. 47, cardinales in libello de reformatione facienda exarato et Paulo III tradito (de quo vid. supr. p. 28): "quod passim quicunque sint, imperitissimi sint, vilissimi generis orti sint, malis moribus adolescentes admittantur ad sacros ordines et maxime ad presbyteratum; hinc innumera scandala, hinc contemtus ordinis ecclesiastici". (Natal. Alex. H. E. VIII p. 43 edit. Paris. 1699). Sed numerus XX annorum a pontifice h. l. propositus cum usu ecclesiæ antiquiore haud convenit, qui eandem in presbyteris ac in episcopis ætatem postulasse videtur (vid. exempla nuper allata), etiam vero in diaconis (plerumque in subdiaconis quoque) ætatem XXV annorum postulavit (Dist. 77 c. 5-7. D. 78 c. 2), neque annum XXmum per dispensationes admisit nisi in beneficiis, quibuscum cura animarum conjuncta non erat (l. 1 tit. 10 c. l. in VI). Idem Tridenti severius et salutarius decretum est (Sess. XXIV de ref. c. 12): "ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, Clerici alioquin idonei et XXII annis non minores adsciscantur".

14. Observanda hic etiam est major concilii Tridentini severitas, qua annus, qui in bulla nostra dispensationibus concessus est, restringitur in rectoribus beneficiorum ad sex menses, in episcopis ad tres, addita etiam clausula: nisi intra hoc tempus munus susceperint, ut fructus perceptos restituant, si autem intra totidem menses postea id facere neglexerint, ut muneris jacturam faciant. Sess. VII de ref. c. 9. XXIII de ref. c. 2.

15. Inter abusus potestatis papalis vix ullus ut fisco pontificis fructuosior ita ecclesiarum saluti funestior fuit, quam ratio beneficia ecclesiastica plura interdum plurima clientibus singulis conferendi. Tentatum sæpius quidem fuerat artes quæstuarias curiæ romanæ hac in re coer-

cere, ita in conc. Lateran. III a. 1179 c. 13. 14 et conc. Lat. IV a. 1215 c. 29 (Labb. XIII p. 424. 963); sed mira semper fuit Romanorum in severitate canonum illudenda dexteritas. Insignes eâ ante omnes erant Clemens V et Johannes XXII, impio nepotum studio et dira pecuniæ aviditate ducti, qui nomine callide mutato non beneficia sed *commendas* in caput unum cumulabant, h. e. beneficia non in usum perpetuum conferebant, sed ad tempus quod dicebant curæ unius viri commendabant; tum quoque ex multis beneficiis *titulum* unum faciebant, ut magnum beneficiorum numerum, salvâ manente litterâ legis, uni viro conferrent*). De tanta arbitrii licentia neque virorum neque nationum deerant querelæ et expostulationes; ex rubricis quoque collegii reformatorii in Concilio Constantiensi (Labb. XVI p. 1061, 67), annuente in Sess. 43ma Martino V (l. l. p. 719), pontifici uniones facere et dispensare de pluralitate beneficiorum non licuit, nisi ex rationabili et evidenti causa cumque consilio Cardinalium. Sed leges tanta cum ambiguitate expressæ parum vel nihil valebant; Cardinales itaque Pauli IIItii querelas easdem repetiisse legimus. "Abusus alius", inquiunt, "est eadem calliditate inventus, nam quædam beneficia incompatibilia jure sunt et appellantur, quæ ex ipsa vi nominis majores nostri admonere nos voluerunt non debere uni conferri; nunc in his dispensantur, non tantum duobus sed pluribus, et quod pejus est in episcopatibus. Hunc morem, qui ob avaritiam tantum invaluit, tollendum ducimus præsertim in episcopatibus. Quid de unionibus beneficiorum ad vitam unius, ne scilicet obstet illa beneficiorum pluralitas ad obtinenda incompatibilia, nonne est mera fraus legis?" Distinctionem vero, quæ h. l. inter episcopatus et reliqua beneficia facta est, Paulus in bulla nostra arripuit inque rem suam convertit, ut illos unice incompatibiles declararet, in his vero avaritiæ romanæ libertatem servaret; certe enim,

*) Huic modo legem eludendi opposita sunt verba bullæ nostræ, quæ jubent beneficia obtenta semper exprimi o: singula nominibus designari.

exceptiones petere ex nobilitate, ex honoribus doctis (cf. Greg. lib. 3t. t. 5 c. 28), ex tenuitate redituum, denique "ex alia simili legitima causa", quid est nisi arbitrio viam et januam aperire? Exploratio causæ ejusmodi autem quod committenda dicitur Ordinario loci (ad partes), præceptum est ex reg. cancell. 21ma: "semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest". Sed melius hac in re ecclesiæ consultum est canonibus Tridentinis, qui beneficiis privari jubent "quicunque plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam sive commendæ perpetuæ aut alio quocunque nomine et titulo, contra formam sacrorum canonum recipere ac retinere præsumserit" (Sess. VII de ref. c. 4). Uniones perpetuæ autem (non personales) beneficiorum dioeceseos ejusdem fieri possunt per episcopum ex causis justis et legitimis, quæ accuratius indicatæ sunt in Sess. XXI de ref. c. 5. XXIII de ref. c. 18. XXIV de ref. c. 15.

16. *Collatio s. provisio beneficiorum inferioris ordinis* quam ex jure canonico antiquo ad episcopos pertinuit, a tempore inde Gregorii VIImi doctrina proposita est, eam jure ad sedem apostolicam pertinere neque nisi per indultum concessam episcopis fuisse (Conc. Rom. a. 1080 can. 6 apud Labb. XII p. 637). Itaque pontifices romani seculi præsertim XIVmi specie juris utentes, per bullas et regulas cancellariæ partem beneficiorum longe majorem episcopis eripuerunt inque suas manus transtulerunt; ita ex regula cancellariæ octava omnia beneficia per octo menses anni vacantia pontifici reservata sunt, episcopis quatuor mensibus relictis; postea vero alia regula substituta est de alternatione mensium inter pontificem et episcopos distribuendorum. Neque hoc solum, sed in ipsis mensibus episcoporum nihil frequentius erat, quam ut pontifices per *gratias exspectativas* s. *provisiones* ex jure præventionis successorem ante vacantiam designarent. Quantam bonorum omnium indignationem moverit abusus, qui legitimas regiminis ecclesiastici formas evertit, docent libri Nic. de Clemangis (de corr. eccl. st. c. 5. 6), Aliaci (de necess. reform. c. 3. 6. 7. 10. 18. 21), Lutheri (an

den Adel deutscher Nat. apud Walch. X p. 323 ss.), et Gravamina nat. germanicæ a. 1518 art. 2–5. a. 1522 art. 14–24. Sed quamquam in Concilio Constantiensi reformatio hac in re constanter et vehementer a prælatis postulata est (Labb. XVI p. 1059. 1082. 1143), in Basiliensi et in Sanctione pragmat. nat. german. tit. 2 § 1. tit. 25 c. 1 § 2. 3 etiam facta est, quum reservationes ad canones antiquos restrictæ sunt, exspectationum vero abusus interdictus est (Sess. XII. XXI. XXXI), pontifices tamen Martinus V (concord. germ. et gallic. art. 2), et Nicolaus V in Concordato Vindebonensi usus antecessorum restituerunt. — Libellus reformationis a Cardinalibus Pauli IIItii exaratus hæc habet: "Alius abusus est in Exspectativis et Reservationibus beneficiorum, quibus datur occasio ut aliena mors desideretur et libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum supremum dignioribus cum vacant, dant litibus causam; omnes has putamus tollendas esse". Bullam nostram vero quod attinet, pontifex caute sibi reservavit jus exspectative providendi, nihil promittens, nisi intra fines mensium suorum se substiturum esse. Juvat quoque observare, concilium Tridentinum hac in re sedi apostolicæ eximio modo pepercisse; etenim, quum reservationes mentales et gratias exspectativas Collegiis, Universitatibus, Senatibus et aliis singularibus personis interdixit (Sess. XXIV de ref. c. 19), Curiam romanam ita silentio prætermisit, ut ei permisisse videatur, quod reliquis omnibus illicitum declaravit.

17. *"Illius voluntate"* h. e. si recte intelligo: ut ex consensu resignatarii benevole dato et expresso gratus oriatur animus, qui impium mortis desiderium haud admittat. Postulatur consensus ille, verbis expressis indicandus, reg. cancell. 44tâ.

18. Artes simoniacas usu frequentes fuisse, ut Clerici, *resignationem* fingentes, munere se ad tempus abdicarent *salvo regressu* s. cum jure recuperandi, constat etiam ex querelis Cardinalium l. l.: "Alius item abusus in permutationibus beneficiorum, quæ fiunt cum pactionibus, quæ simoniacæ omnes sunt, nulloque respectu habito nisi lucri ... nam

fiunt renuntiationes episcopatuum aliorumque beneficiorum primò cum regressu, addunt reservationem fructuum, addunt reservationem collationis beneficiorum." Abusum istum bulla nostra h. l. tollere conatur, cujus verba paulo obscurius posita regulam hanc præcipiunt: si quis resignatione beneficium alteri tradat hac cum reservatione mentali, ut in possessionem beneficii mox iterum redeat, hanc redeundi potestatem non faciendam esse resignatario, nisi altera vice beneficium quod antea habuit legitima ratione assecutus fuerit, et ne sic quidem ante annum a denominatione elapsum. Decreto Tridentino tollitur abusus omissa conditione quæ in bulla nostra adjecta est: "Cum in beneficiis ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa et patrum decretis contraria, nemini in posterum accessus aut regressus etiam de consensu ad beneficium ecclesiasticum cujuscunque qualitatis concedatur." (Sess. XXV de ref. c. 7).

19. Irrepserat imprimis in episcopatibus abusus, quo episcopus *coadjutorem* sibi adscivit eumque successorem futurum designavit, libera electione sublata. Frequentes adversus eum canones antiqui editi sunt (in conc. Antioch. a. 341. conc. Bracar. a. 572. conc. Lateran. I. a. 1139), etiam in monitis Cardinalium Pauli IIIti reprehenditur "alius dolus inventus, quum scilicet Coadjutores dantur Episcopis petentibus minus idonei quam ipsi sint, ita ut, nisi quispiam claudere oculos voluerit, liquido videat hæredem ea ratione institui." Remissius tamen bulla nostra rem agit, quum spes successionis futuræ non tollitur, sed restringitur conditionibus consensûs episcopi atque veræ coadjutorii administrationis. Sic quoque in Concilio Tridentino: "Quodsi quando ecclesiæ cathedralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postulet Prælato dari Coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quam hæc causa prius diligenter a Sanctiss. Rom. Pont. sit cognita, et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ a jure et decretis hujus sanctæ Synodi in Episcopis et Præ-

latis requiruntur; aliæ concessiones super his factæ subreptitiæ esse existimentur." (Sess. XXV de ref. c. 7).

20. *Dignitates* h. l. non intelliguntur prælaturæ omnino s. officia ordinis superioris, quæ jurisdictione ecclesiastica instructa sunt, sed sensu angustiore: in capitulis canonicorum, quæ in ecclesiis cathedralibus (ɔ: in quibus episcopus cathedram habet) vel collegiatis (ita ex ipso canonicorum collegio dictis) instituta sunt, munera officio et honore insignia, imprimis præpositi et decani. Dignitatum illarum provisiones, quæ ex jure antiquo capitulis ipsis relinquuntur, pontifices deinde per reservationes ad sedem apostolicam plerumque traxerunt; neque bullâ nostrâ frenum dici potest arbitrio Curiæ injectum, quum statuta ecclesiarum servari jubeat, propterea quod seu quatenus confirmationem sedis apostolicæ habeant. De personis graduatis autem potissimum ad honores illos admittendis conferatur decretum Trident. Sess. XXIV de ref. c. 12: "ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico."

21. *Ad nutum amovibiles* sunt coadjutores, vicarii, et omnes qui vocati sunt hac lege, ut a voluntate alius pendeant, quo jubente removeri a munere possunt.

22. *Titulus sc. beneficii* dicitur ipsum beneficium cum officio ecclesiastico conjunctum (inde decreta adversus ordinationes quæ "sine titulo" fiunt ɔ: non indicato munere aliquo, ad quod vocatus sit ille qui ordinatur). Itaque notatur abusus, quo beneficia in monasteriis, quæ monachis unacum officiis conferri solebant ac debebant, per commendam concessa sunt sive clericis secularibus ad tempus aliquod sive laicis etiam, qui officiis exemti reditus sibi haberent. Cfr. decr. Trident. Sess. XXV de regular. c. 21: "Quoad monasteria tenentur illi, qui in præsenti ea in commendam obtinent, nisi sit iis de regulari successore provisum, infra sex menses religio-

nem illorum ordinum propriam solenniter profiteri aut iis cedere; alias commendas prædictas ipso jure vacare censeantur."

23. H. e. Quemadmodum bos et asinus jugo eodem con copulantur, ita neque beneficia diversarum dioecesium unire oportet.

24. Haec ex libello Cardinalium sæpius jam excitato lucem habent: "Abusus est in Fratribus seu Religiosis apostatis, qui post votum solenne a sua religione recedunt, impetrantque ne teneantur gerere habitum sui ordinis, imo neque vestigium habitus, sed tantum vestem honestam clericalem... Nam habitus est signum professionis; unde nec ab episcopo potest dimitti, cui teneatur hi apostatæ; ideo hæc gratia iis concedi non deberet; neque etiam, quum ipsi recesserunt a voto, quo deo se obligarant, iis permittatur, ut habeant beneficia neque administrationes." Eadem fere cum severitate — quam dies nostri denique interventu brachii secularis fractam viderunt — concilium Trident. votum monasticum indissolubile declaravit, "nisi Regularis intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter nisi causas, quas prætenderit (se per vim et metum ingressum esse religionem, aut ante ætatem debitam (ɔ: annum 16mum) professum fuisse, aut quid simile), deduxerit coram Superiore suo et Ordinario." Sess. XXV de regular. c. 19.

25. Cfr. deplorationes de *impudenti Simoniæ vitio* Nicolai de Clemangis (de præsulibus simoniacis liber), Petri de Aliaco (de eccles. reform. c. 8), et regulas propositas in Conc. Const. (Colleg. ref. Labb. XVI p. 1049. 1070. 1123. avvisam, nat. germ. p. 1148), atque a Martino V confirmatas in concord. germ. art. 6. Accedunt monita Cardinalium Pauli IIItii: "Alius abusus in absolutione simoniaci. Proh dolor, quantum in ecclesia Dei regnat hoc pestilens vitium, adeo ut quidam non vereantur simoniam committere, deinde confestim petunt absolutionem a poena, imo eam emunt sicque retinent beneficium quod emerunt. Non dicimus Sanctitatem tuam non posse poenam illam, quæ est de jure positivo constituta, iis condonare, sed quod nullo pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur, quo nullum perniciosius

neque magis scandalosum!" Concilium Trident. decreto gravissimo poenas contra simoniacos canonibus sacris editas innovavit "non obstantibus quibuscunque statutis, constitutionibus et consuetudinibus etiam innumerabilibus, etiam ab apostolica sede confirmatis, de quarum subreptione et intentionis defectu Episcopus, tanquam apostolicæ sedis delegatus, cognoscere possit." Sess. XXIV de ref. c. 14.

26. Regula hæc ut intelligatur, inspicienda est constitutio illa quæ dicitur "de non subrogandis non collitigantibus", h. e. *reg. cancell.* 28*va*. Præceptum est eâ: quum ex duobus de beneficio collitigantibus unus decesserit, *ut alter præferatur reliquis petitoribus*, si impetratio ejus facta fuerit mense eodem quo ille mortuus est, nisi aut beneficiarius in munus suum fuerit intrusus (sic enim nulla est vacantia), aut forte constet litem motam esse maligno succedendi consilio. Ita vero regula jussit, cupiens — quod ipsa dicit — litium succidere anfractus, ne, si novi adversarii collitiganti fuerint oppositi, lites in ecclesiarum dispendium producantur. Sed abusus prope aderat, quum lites sæpissime senibus et infirmis non aliam ob causam intenderentur ab hominibus inhonestis, nisi ut ipsi mox jure succedendi munus invaderent. Fraudi turpissimæ ut via præcludatur, bullâ nostrâ ratio præcipitur regulæ cancellariæ opposita, quum lites, si morte unius interruptæ fuerint, continuari jubentur, novo adversario subrogato.

Not. usum vocabb. *impetrare, impetratio* de supplicatione, imprimis in beneficiis quæ, propterea quod possessor accusatus est, vacant seu vacare contenduntur.

Inter irregularitates, quæ sacramentum ordinis impediunt, a seculo fere XImo inde (contra auctoritatem patrum antiquorum, quod docent exempla in decr. Grat. dist. 56) usu communi numerata est *nativitas illegitima* (dist. 56 can. 1. 13. 14), salvo tamen episcoporum inque sacris ordinibus pontificis rom. jure dispensandi; quamquam severius etiam in Conc. Constant. avvisamentis Colleg. Reform. (Labb. XVI p. 1085) cautum est, "ne illegitime nati et maxime filii presbyterorum ad prælaturas etiam inferiores, quacunque dispensatione apostolica non obstante, admittantur,

nisi virtutum, morum ac scientiarum eminentia præfulgeant." Pertinent huc querelæ Cardinalium Pauli IIItii: "quod passim vilissimo genere orti... adolescentes admittantur ad ordines sacros et maxime ad presbyteratum; hinc innumera scandala, hinc contemtus ordinis ecclesiastici." Ipse Paulus tamen, quum jubet natales expressis verbis indicari, de jure suo dispensandi nihil remittit. Concilium Tridentinum quoque (Sess. XXV de ref. c. 15), sapienter nimia severitate temperata, decretum restrinxit ad filios Clericorum illegitimos, quos arceri jubet a beneficiis in iis ecclesiis, ubi patres beneficium habent aut habuerunt.

27. Regulæ et constitutiones, quæ verbis bullæ nostræ respiciuntur ac confirmantur, hæ sunt: *a. Reg. cancell. 29na:* "Omnes gratiæ, quas de quibusvis beneficiis..., vacantibus (Papa) in antea fecerit, nullius roboris vel momenti sint, nisi post obitum et ante datum gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vocationes ipsæ de locis, in quibus personæ decesserint, *ad notitiam D. N. verisimiliter potuerint pervenire."* *b. Reg. cancell. 19na:* "Si contingat ipsum (papam) alicui personæ de parochiali ecclesia vel quovis alio beneficio, exercitium curæ animarum parochianorum quomodolibet habente, providere, *nisi ipsa persona intelligat et intelligibiliter loqui sciat idioma loci,* ubi ecclesia vel beneficium hujusmodi consistit, provisio seu mandatum et gratia nullius sint roboris vel momenti." *c. Reg. cancell. 18va:* "Si quis in infirmitate constitutus resignarit aliquod beneficium ... et postea *infra viginti dies* (a die per ipsum resignantem præstandi consensûs computandos) *de ipsa infirmitate decesserit,* et ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare." De ratione et consilio hujus regulæ cf. Giberti corp. jur. can. III p. 76: ne ecclesiæ detrimentum capiant ex voluntate possessorum in limine vitæ extremo versantium, qui pro ea qua laborent corporis animique virium debilitate haud videantur usibus ecclesiæ recte consulere posse. *d. Reg. cancell. 44ta:* "(Dom. Noster)

voluit et ordinavit, quod … litteræ reservationis vel assignationis, etiam motu proprio, *cujusvis pensionis annuæ* super alicujus beneficii fructibus expediri non possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc habebit."

28. *Pensiones* dicuntur certa redituum pars, quæ ex alieno beneficio detracta clerico alicui aut piis quibuslibet usibus assignatur. Eæ vero quum a voluntate pontificis rom. penderent, abusibus turpissimis via aperta est; quare Cardinales sæpe commemorati notarunt "alium abusum, quum beneficia conferuntur seu quum ceduntur aliis, in constituendis super eorum fructibus pensionibus, imo quandoque cedens beneficio omnes sibi fructus reservat; — sunt autem reditus annexi beneficio ut corpus animæ … hæc est natura redituum. Verum sicuti in rerum naturæ administratione nonnulla fiunt a natura particulari præter inclinationem universæ naturæ, sic in pontifice, quoniam ut universalis dispensator bonorum ecclesiæ, si viderit eam fructuum portionem, quæ in usus pios expendi debet, aut ejus partem in pium quempiam alium usum, ut expendatur, magis expedire, potest procul dubio id facere. Ideo jure merito pensionem ponere potest, ut subveniat egeno præsertim clerico, ut honeste queat vitam ducere pro ejusdem ordine. Ideo omnes fructus reservari adimique id omne, quod divino cultui sustentationique habentis beneficium tribui debet, magnus est abusus. Itemque pensiones dari Clericis divitibus, qui commode et honeste vivere possunt ex reditibus quos habent, magnus est abusus; tollendus uterque." Huic malo ut medela videretur afferri, duo bullâ nostrâ proponuntur: 1) eximi a pensionibus debere *distributiones quotidianas* (h. e. pecuniam, quæ canonicis qui officiis divinis intersunt ex communi collegii ærario tribuitur), nisi majorem redituum partem efficiant, atque beneficia curata, quorum reditus annui XXIV ducatis inferiores sunt. 2) de beneficiis reliquis licere partem dimidiam detrahere, ita tamen ut XXIV ducati aurei rectori muneris relinquantur. Quam misere autem clericorum vitæ eo consultum sit, cum per se apparet, tum etiam Conc. Trid. declar-

rasse videtur, longe alio et honestiore modulo proposito: "ecclesiae parochiales, quae summam ducatorum C secundum verum valorem annuum non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur." (Sess. XXIV de ref. c. 13).

29. Seculis istis, quibus in ecclesia cuncta in pejus ruebant, ita elanguisse non dico studium rerum spiritualium, sed pudoris sensum etiam et disciplinae nervos, ut Clerici, Episcopi inprimis et Canonici, sedibus suis et ecclesiis relictis in urbium confluxu et aularum deliciis viverent, res satis nota est. Testes sunt tot conciliorum canones pontificumque decreta quibus graves *non-residentiae* poenae dictantur (causa 7 qu. 1 c. 19–26. causa 23 qu. 8 c. 26–28. Decret. Gregor. III. 4. al.), testes gravissimae theologorum querelae (Nic. de Clemangis de corr. eccl. statu c. 17.*) Petr. de Aliaco de ref. eccl. c. 3) et consilia Conc. Constant. (Labb. XVI p. 1062, 69. 1096.) Eas vero nihil effecisse, constat ex monitis Cardinalium Pauli: "per deum immortalem, quis miserabilior viro Christiano conspectus esse potest, christianum orbem peragranti, quam haec solitudo ecclesiarum? omnes fere pastores recesserunt a suis gregibus, commissi sunt omnes fere mercenariis. Imponenda ergo esset magna poena episcopis, deinde curatis, qui absunt a suis gregibus, non tantum censurarum, sed etiam ne reciperent reditus illi qui absunt, nisi impetrata licentia a tua Sanctitate episcopi, curati ab episcopis per breve aliquod temporis spatium." Itaque bulla nostra officium residentiae personalis ad canones juris communis revocatur, annuentibus decretis Tridentinis (Sess. VI de ref. c. 1. Sess. XXIII de ref. c. 1), quae episcopum sine legitimo impedimento seu justis et legitimis causis, atque ultra tres menses extra dioecesin commorari vetant, eumque, si contra hanc regulam egerit, fructibus beneficii privari jubent. Sed in [illegible]

*) "multi ex iis, qui pastorali apice potiuntur perque annosa tempora positi sunt, nunquam civitates suas intraverunt, suas ecclesias viderunt, nunquam pecorum suorum vultus agnoverunt, vocem audierunt, vulnera senserunt, nisi ea forte vulnera, quae ipsi sine uberibus spoliis per alienos mercenarios iis intulerunt?"

causis absentiæ justis definiendis — quod summum erat — mira est ambiguitas: afferuntur "christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens ecclesiæ vel reipubl. utilitas", deque his judicandi facultas relinquitur pontifici aut metropolitano vel eo absente episcopo suffraganeo antiquiori. Ita res tota in arbitrio pontificis mansit, neque Concilium iis morem gerere voluit, qui — ut omnibus abusibus finis mox imponeretur — suadebant officium residentiæ ex jure divino repetere, omni dispensatione superiore; sed declinabant hanc discussionem legati pontificis et qui a parte eorum stabant, ne munus episcopale videretur ab auctoritate pontificis non pendere. Cf. Pallavicin. VII. 6. XVI. 4. Sarpi p. 475 ss.

30. Nota est distinctio (Conc. Trid. Sess. XXIII can. 2) ex qua *ordines minores* quatuor numerantur: Acoluthi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii, reliqui autem (Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri et Episcopi) inter *ordines majores s. sacros* referuntur (conc. Trid. l. l. cap. 2), quum tantus honor subdiaconis non ante seculum XImum concessus fuerit (dist. 60 c. 4). — *Tonsura clericali* initiantur solenni modo qui ordini sacro destinati sunt (Conc. Trid. Sess. XXIII de ref. c. 4).

31. Inter epistolas formatas (ɔ: in quibus singularis aliqua forma et usus signorum receptus erat) notandæ sunt eæ quæ *commendatoriæ* atque *dimissoriæ* dicuntur; quibus instruuntur et prisco jam ecclesiæ tempore instructi sunt ab episcopis homines christiani, inprimis Clerici, quoties in aliam provinciam vel dioecesin missi aut profecti sunt, ut constaret, eos in pace ecclesiæ esse neque sine causa justa et legitima ex sedibus suis discessisse. vid. Bingham antiqu. eccles. I p. 106. Conc. Trid. Sess. XIV c. 2 de ref. XXIII c. 8 de ref.

32. Eadem fere de *competentia ordinandi* canonibus vetustis (jam inde a concil. Nicæno can. 16) sancita fuerunt (dist. 71 c. 1. 2. 3. 6. Causa IX qu. 2 c. 6–9). Illos autem in desuetudinem pæne abiisse, ut eos innovandi necessitas esset, cum ex monitis Cardinalium apparet ("Non permittat Sanctitas vestra, ut quispiam ordinetur, nisi ab episcopo suo vel

cum licentia Deputatorum in urbe aut Episcopi sui"), tum ex decretis Tridentinis adversus episcopos titulares et vagabundos; qui "in legis fraudem et contemtum quoscunque ad se venientes clericali charactere insignire et ad sacros etiam presbyteratûs ordines promovere præsumant;.. quo plerumque fit, ut minus idonei et rudes ac ignari, et qui a suo episcopo tanquam inhabiles et indigni rejecti fuerunt, ordinati, neque divina officia peragere neque ecclesiastica sacramenta recte valeant ministrare" (Sess. XIV de ref. c. 2. XXIII de ref. c. 8).

33. In computatione *graduum affinitatis qui matrimonium impediant*, usum et consuetudinem ecclesiæ admodum variasse, annales juris canonici docent. De nuptiis inter consobrinos temporibus jam Theodosii M. ejusque filiorum sententias fluctuasse videmus, ulterius autem ecclesia canones suos nondum extendit; quid! quod Gregorius M. post consobrinos neminem a matrimonio repellendum esse voluit (Causa 35 qu. 2 c. 20). Deinde vero severitas adaucta est, inprimis post tempora collectionis Isidorianæ, quum nuptiæ consanguineorum ad septimum usque gradum illicitæ declaratæ sunt (c. 35 qu. 2 c. 7. 16. 17. 19); neque mirum hoc, quum vix aliud ullum dispensationum genus fructus uberiores thesauro Curiæ afferret. Inter gravamina Norimbergensia n. 1 deplorantur "matrimoniorum innumera excogitata obstacula, ex cognatione spirituali legalique et consanguineitatis tam multis gradibus originem trahentia"; quare ordines Germaniæ in Sanctione pragmat. tit. 27 voluerunt, ut tollerentur prohibitiones matrimoniorum ad quartum consanguineitatis gradum et quæ inde fluebant dispensationes gravi populorum sumtu acquirendæ. Cardinales quoque Pauli IIItii immoderatum dispensationis hac in re usum ægre ferentes, monuerunt "certe in secundo gradu non putamus dispensationem faciendam esse, nisi ob publicam causam gravem; in aliis vero gradibus nonnisi ob causam honestam et absque pecunia, nisi jam prius conjuncti essent, ubi liceret pro absolutione a peccato jam perpetrato imponi mulcta pecuniaria post absolutionem et deputari ad pios usus, in quibus facit Sanctitas Tua impensas". Sic etiam

Conc. Trid. Sess. XXIV de ref. c. 5: "In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro idque ex causa et gratis concedatur; in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes et ob publicam causam".

34. Cf. Conc. Trid. Sess. XXIII de ref. c. 8: "Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus... publice celebrentur". *Tempora stata* sunt autem ex canonibus (dist. 75 c. 7): jejunium mensium Junii, Septembris et Decembris, sabbatum sanctum et sabbatum ante Dominicam Passionis inter missarum solennia.

35. *Legati* ex Curia rom. ad provincias visitandas emissi, praesertim a tempore inde Gregorii VIImi ad imperium papale augendum firmandumque tanta potestate praediti sunt, ut, nomine quasi et ex auctoritate pontificis agentes, dispensationes, absolutiones, causarum cognitiones et judicia ad se traherent; quo factum est, ut jurisdictio episcopalis ordinaria et omnis disciplinae auctoritas everteretur, quum ad arbitrium legatorum adque lucrum Curiae rom. causae omnes revocarentur. Abusus inde ortos iniquissime plerique ferebant (vid. gravamina nat. germ. a. 1522 n. 95-97); Paulus III autem quod bulla nostra medelam afferre saltem promisit, proxime sine dubio Cardinalibus ejus debetur, qui "non licere, inquiunt, aliquo pacto in usu clavium aliquid lucri utenti comparari; hoc non tantum ad Sanctitatem Tuam pertinet, sed ad omnes, qui sunt participes hujus potestatis, ideo a Legatis et Nunciis vellemus id servari; nam sicut usus, qui nunc invaluit dedecorat hanc sedem et conturbat populum, ita, si fieret e contra, maximum decus huic Sedi compararetur, et aedificaretur mirifice populus". Adde Decretum Trident. (Sess. XXIV de ref. c. 20), quod jubet causas matrimoniales et causales examini et jurisdictioni episcopi relinqui, omni Nunciorum auctoritate exclusa.

36. *Hospitale S. Spiritus in Saxia*, quod ab Innocentio III fere a. 1198 exstructum est, a Sixto V deinde restauratum et amplificatum (in regione Urbis trans-tiberina — Borgo di S. Spirito — prope ad basilicam

S. Petri) nomen dicitur a Saxonibus traxisse, qui eo in loco jam ante tempora Caroli M. sive aedem sive hospitium sive palatium regium habuisse dicuntur. Cura et administratio hospitalis commissa est ab Innocentio Guidoni, qui eodem illo anno in urbe Galliae Montpellier ordinem condiderat equitum S. Spiritûs et hospitale, quod Spiritui S. sacrum esse voluit.

37. Institutum erat a Clemente VIImo, antecessore Pauli III, collegium ex L singularum nationum curialibus, quibus *cura et administratio aedificii basilicae S. Petri* commissa est. De gratiis et indultis collegio isti a Julio II, Leone X, Clemente VII concessis, a Paulo III sancitis et ampliatis, vid. bullam Pauli III d. 21 Mart. 1542 (Bullar. magn. rom. ed. Luxemb. I p. 751). In ejus locum substituit deinde Clemens VIII (a. 1592–1604) *congregationem rev. fabricae S. Petri*, ex pluribus cardinalibus et praelatis compositam (Lunadoro della corte di Roma II p. 133 ss.).

38. *Expeditio sacra s. cruciata, qua Mauri in Hispania debellarentur*, a. 1485 ab Innocentio VIII indicta est, qui ad tam pium armorum usum adjuvandum permisit Ferdinando regi, ut decimae ex beneficiis regni ecclesiasticis omnibus exigerentur (Ferreras allg. Gesch. Span. VIII p. 47). Adde quod de Pio IVto Pallavicinus narravit (XIV c. 13 n. 3): quum audiisset non sine gravi dolore, haereticos (ɔ: Lutheranos) in Hispania Mauros granatenses et dynasten Algerii ad arma sollicitare et Turcarum opem implorare (?), eum per nuncium suum regi facultatem impertiisse pro cruce signatis.

39. Cfr. monita Cardinalium: "Sunt in hac urbe hospitalia, sunt pupilli, sunt viduae, harum cura maxime pertinet ad episcopum et ad principem; ideo Sanctitas Tua per Cardinales viros probos posset etiam commode haec omnia curare;" — atque decretum Trident. (Sess. XXII de ref. c. 8. 9), quo hospitalia omniaque loca pia ex sacris canonibus visitationi episcoporum subjecta declarantur, et omnes fabricae cujusvis ecclesiae jubentur singulis annis rationem reddere Ordinario.

40. Ita, quum antea *de jure patronatûs* usus fuisset singulis locis et temporibus diversus, cautum est canonibus conc. Lateranensis III a. 1174 (decretal. Greg. IX l. 3 tit. 38 c. 3. 4. 10. 12. 21), ne premium aliquod deesset, si qui de rebus ecclesiæ egregie meriti essent, iidem tamen jurisdictioni episcopi subjecti aliquo modo manerent. Fuisse autem episcopos qui jus patronatûs, si ad laicum pertineret, ad se rapere conarentur, ut beneficiis dotationem vel fundationem confirmare recusarent, nisi obtenta prima ejus collatione, constat ex gravaminibus Norimberg. n. 43. Regulas illas innovatas et accuratius definitas vide in decreto Trident. sess. XIV de ref. c. 12. XXV de ref. c. 9, ubi hoc inter alia extstat: "Sicuti legitima patronatus jura tollere piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est, sic etiam, ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum."

41. Præcepta eadem de *disciplina regulari* constanter vindicanda et licentia monachorum coercenda exstant in decretal. Clement. l. 3 tit. 10 c. 1, restituta auctoritate concilii Tridentini Sess. XIV de ref. c. 11. XXV de mon. c. 1. 4.

42. *Procuratio* comprehendit hospitium, alimenta, cetera necessaria, quæ episcopis visitantibus a parochis præstanda sint (Decr. causa 10 qu. 3 112. 8). Antiquum hujus stipendii usum cum officio personaliter visitandi inculcavit conc. Trident. (Sess. XXIV de ref. c. 3) hoc addens: si episcopus sumtibus inutilibus ecclesiæ onerosus sit vel stipendia plura a parochianis exigat, eum præter dupli restitutionem, intra mensem faciendam, aliis poenis ex arbitrio synodi provincialis mulctandum esse. Ex eodem decreto vero, quum inter visitationem per episcopum ipsum et per vicarium ejus generalem institutam nulla distinctio facta sit, procurationis stipendium contra exceptionem bullæ nostræ ad utrumque jure æquali pertinere videtur.

43. Cf. *Conc. Trid.* Sess. XXIV de ref. c. 11: "Quoniam *privilegia et exemtiones*, quae variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in episcoporum jurisdictione excitare, et exemtis occasionem laxioris vitae praebere dignoscuntur, decernit S. Synodus, ut .... quae privilegia residentibus in curia Rom. aut familiaritati Cardinalium competere solent, ea in iis, qui beneficia ecclesiastica obtinent, ratione praedictorum beneficiorum minime intelligantur, sed Ordinarii jurisdictioni subjecti permaneant."

44. *Irregularitatis maculam ex homicidio* inductam, nisi constet caedem contra voluntatem animi factam imputari non posse, ex canonibus antiquis (dist. 50 c. 40. 41. 49) Concilium Trident. auctoritate sua confirmavit, Sess. XIV de ref. c. 7.

45. Vetus regula est, a seculo inde sexto cum canonibus conciliorum tum legibus civilibus firmata, *bona ecclesiae abalienari non posse* (h. e. ex decretal. l. 3 tit. 13 c. 5. Clem. 3 tit. 4. 5. neque venditione et donatione neque permutatione et contractu perpetuo), nisi causa justa sit sive necessitatis sive utilitatis evidentis sive pietatis in pauperibus sublevandis vel captivis redimendis (causa 12 qu. 2 c. 1. 13. 70. 71). Sed quum hujus rei exploratio ab episcopo, consentiente capitulo, tempore antiquo penderet, pontifices deinde jus abalienationes permittendi sibi reservarunt (Decretal. Sext. l. 3 tit. 9), cujus rei testimonium luculentissimum est forma juramenti in consecratione Episcoporum haec habens: "possessiones ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli eccl. meae, inconsulto rom. pontifice; et si aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo." Ex bulla nostra jus illud Ordinariis declaratur restituendum, de quo jam expostulatio facta est in Conc. Constant. (Labb. XVI p. 1100. 1147).

46. Distinguuntur *judices delegati*, a quibus appellatio fit ad eum qui delegavit (ita Episcopi multis in rebus non ex sui muneris auctoritate

agere dicuntur, sed ut delegati sedis apost.), atque *ordinarii*, qui ex mandato et nomine alterius ita jus dicunt, ut appellationis ad mandatarium via præclusa sit.

47. Inter ea quæ excogitata sunt ab immoderata pontificum rom. avaritia imperandique cupidine, hoc bonis moribus et justo ecclesiæ regimini maxime obfuit, quod concessum est hominibus reis pecuniâ datâ, judicibus mediis omissis, per saltum *sedem apostolicam appellare*, quæ causam neque cognoscere potuit neque etiam cognoscere sæpe voluit. Ita jurisdictionem legitimam sublatam, jus perversum omnibusque peccatis viam apertam esse, perpetua erat hominum recte sentientium querela (vid. in Conc. Constant. avvisam. nat. germ. Labb. XVI p. 1144); quare in concilio Basileensi sess. 31 c. 1 de causis inque Sanctione pragmatica germanica tit. 26 n. 2. 3 recursus ad sedem apostolicam cum omissione Superiorum interdictus est, præceptum vero, ut omnes quæcunque causæ coram judice ordinario in prima instantia terminarentur. Sed decreta illa irrita mox facta sunt, exceptione hac a Martino V adjecta: "nisi forte pro causæ et personarum qualitate illas tractare in curia expedierit pro justitia consequenda" (Conc. Constant. Sess. 43 c. 6. 7), atque deinde non solum in gravaminibus nationis germanicæ n. 9–12 sed in monitis Cardinalium quoque querelæ vehementissimæ nobis occurrunt: "abusus magnus, inquiunt, et minime tolerandus, quo universus populus christianus scandalizatur, est ex impedimentis quæ inferuntur Episcopis in gubernatione suarum ovium, maxime in puniendis scelestis et corrigendis. Nam primo multis viis eximunt se mali homines, præsertim Clerici, a jurisdictione sui Ordinarii; deinde si non sint exemti, confugiunt statim ad Poenitentiariam vel ad Datariam, ubi confestim inveniunt viam impunitati et, quod pejus est ob pecuniam præstitam. Hoc scandalum, beatissime Pater, tantopere conturbat christianum populum, ut non queat verbis explicari. Tollantur, obtestamur Sanctitatem Tuam, hæ maculæ, quibus si daretur quispiam aditus in quacunque hominum republica aut regno, confestim aut paulo post in

praeceps rueret nulloque pacto diutius constare posset, et tamen putamus nobis licere, ut per nos in christianam rempubl. inducantur haec monstra!" Querelis illis ut succurratur, bulla nostra jurisdictionem episcopalem vindicat et tuetur, quum causas omnes visitationis et correctionis in prima instantia ab Ordinario cognosci jubet, neque judices superiores, sive Metropolitanos sive Legatos pontificis, causam inhibere et appellationem ante admittere sinit, quam sententia definitiva dicta fuerit, nisi forte sententia interlocutoria reo attulerit damnum, quod judicio definitivo deinde reparari nequeat; ita enim ab illa sententia provocari ad Superiorem posse. Eandem jurisdictionis viam legitimam Concilium Trident. accurate describit, sess. XIII de ref. c. 1. XXIV de ref. c. 12; quamquam fatendum est, hic quoque omnia pendere ab animo et voluntate pontificis rom., quum additur: "excipiantur causae ... quas ex urgente rationabilique causa judicaverit summus pontifex rom. per speciale rescriptum signaturae sanctitatis suae committere aut vocare."

48. Decretum jam fuerat in conciliis Const. et Basil. l. l. de appellationibus ad sedem apost. legitime interpositis, ut causae ad Curiam rom. non traherentur, sed ut *judices intra fines imperii* constituerentur (*in partibus* dicti sunt h. e. in locis, ubi partes litigantes sunt); quibus causae cognoscendae in instantia tertia committerentur. Regulam hanc, deinde mox oblivioni traditam, quae bullâ nostrâ in causis minoris momenti confirmatur, Concilium Trident. pleno ambitu ita restituit, ut synodis provincialibus potestatem concedat judices illos designandi, Sess. XXV. de ref. c. 10.

49. *Liberatio a decimis aliisque oneribus* concessa (quae bullâ nostrâ ad beneficia minora restringitur) continetur verbis amplissimis expressa *reg. cancell. 62da:* "(Dom. N.) revocavit quascunque decimarum, subsidiorum, vigesimae et aliorum onerum impositiones, quae ex quavis causa, etiam in subsidium expeditionis contra Turcas et orthodoxae fidei hostes emanarunt, et quascunque facultates super decimarum, vigesimae et onerum

hujusmodi exactione, quibusvis fructuum, proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum collectoribus et Apostolicæ Sedis Nunciis concessa."

50. Eximuntur ita Episcopi officio molestissimo, quod magna cum severitate iis formâ juramenti consecrationis impositum est, idque jam ex canone vetusto (dist. 93 c. 4). Spondent enim, se, nisi impediti fuerint canonico impedimento, *singulis trienniis coram pontifice rom. personaliter apparituros esse* ("apostolorum limina visitaturos") ad rationem de toto officio pastorali deque rebus ecclesiarum reddendam atque mandata apostolica humiliter vicissim recipienda; quodsi vero necessitate detenti fuerint, se nuncium suo loco missuros esse. In decretis Conc. Trid. hujus officii mentionem nusquam factam esse invenimus.

51. *Locus* non solum propter stylum duriorem difficilis, sed errore calami sine dubio corruptus, quod docent anomaliæ constructionis et anacolutha. Sensus autem, quatenus cognosci ex verbis potest, huc redire videtur: 1. collationem beneficiorum inter pontificem rom. et episcopos distribuendam esse ex alternatione mensium, præeuntibus concordatis cum Germania a. 1448 et Gallia a. 1471, quum ante concilia Constantiense et Basileense pontifici rom. reservata fuissent beneficia per menses octo vacantia (ex regula cancellariæ 8va, vid. supr. n. 16). 2. in beneficiis quoque curam animarum habentibus, quæ reservata fuerint pontifici rom. aut affecta (h. e. una tantum vice collata), etiam ad tempus tantummodo (per commendam), etiam quod possessores in Curia rom. ministerio fungantur, Ordinariis in collatione partes suas constare debere. 3. excipienda unice esse ex corpore juris (lib. 3 tit. 4 c. 2. 34 in VI) beneficia, quæ in Curia vacua fiant, h. e. obeunte possessore in locis Romæ finitimis ɔ: duorum dierum itinere distantibus. Ita quoque ex decreto concilii Basil. Sess. XII.

52. Quod antea (vid. n. 29) de officio residentiæ præceptum est, ratione proxime episcoporum et canonicorum habita, h. l. accuratius ad presbyteros applicatur, regimine episcoporum ad officium revocandos. Consentiunt decreta Tridentina, sess. VI de ref. c. 1. XXIII de ref. c. 1.

53. H. e. quæ protectioni regum immediate commissa sunt; hæc enim in Conc. Trident. (sess. XXII de ref. c. 8) a visitationibus episcoporum "sine illorum licentia" exemta declarantur.

54. *Monasteria* quum per secula ecclesiæ priora jurisdictioni episcoporum subessent (Causa 16 qu. 1 c. 10. 12. C. 18 qu. 2 c. 16. 17), a seculis XI et XIImo inde plurima *vià exemtionis* sedi apostolicæ immediate subjecta sunt; scilicet monachis, fidelissimis hierarchiæ adjutoribus, æquum videbatur omni modo indulgere ideoque eos ab inspectione pastoris præsentis liberare. Ita vero quum, frenis disciplinæ laxatis, scandala licentiæ fronte aperta ubique apparerent, Martinus V in Conc. Constant. sess. 43 (Labb. XVI p. 718), acceptis prælatorum et Germanorum avvisamentis (Labb. XVI p. 1064. 1146), voluntatem afferendi medelam simulavit, hæc declarans: "non intendimus exemtiones facere, nisi causa cognita et vocatis quorum interest", quamquam ita revera nihil fecit præterquam jus eximendi pro arbitrio sibi reservare. Neque articulo bullæ nostræ plura vel majora promittuntur, quum exemtionum neque modus neque finis neque conditio ulla definiatur, sed relinquantur jurisdictioni episcopali quæ non exemta et sedi romanæ subjecta fuerint. Tandem vero Concilium Trident., in quo quæstiones de exemtis magna cum solertia tractatæ sunt, monasteria etiam exemta inspectioni Ordinariorum subjecit (Sess. XXV de regular. c. 8. 9); in capitulis quoque, hospitalibus aliisque sive locis sive personis exemtis libertatis privilegia eodem modo intra certos fines restricta sunt: Sess. VI de ref. c. 4. XIV de ref. c. 4. XXV de ref. c. 6. XXII de ref. c. 9.

55. Ex constitutione Lugdunensi a. 1245 (l. V tit. 7 c. 1 in VI) privilegium exemtionis non valet reo, nisi in ipso loco exemto delictum fuerit; constat autem (avvisam. colleg. reform. in Conc. Const. Labb. XVI p. 1102. 1109. vid. sanct. pragm. germ. tit. 27), excessus quam plurimos impune a monachis esse extra muros commissos. Jus et auctoritas in delicta monachorum extra claustra degentium pœnis canonicis animadver-

tendi in Concilio Tridentino quoque vindicatur episcopis tanquam sedis apostolicæ legatis, sess. VI de ref. c. 3. VII de ref. c. 14.

56. Conferatur canon argumenti ejusdem Tridentinus in sess. XIV de ref. c. 3.

57. Ex jure canonico (lib. 5 tit. 11 c. 18 in VI) incurrit irregularitatem, si quis in ecclesia scienter celebret, quum *interdictum* impositum sit. Decreto Tridentino quoque (sess. XXV de reg. c. 12) monachi jubentur "interdicta, nedum a Sede apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata", mandante episcopo in ecclesiis publicare atque servare.

58. Jus episcoporum quoad hospitalia eorumque administratores graviter et accurate in Actis Tridentinis describitur, sess. XXV de ref. c. 8: eos, si ab Ordinario moniti hospitalitatis munus obire cessaverint, non solum per ecclesiasticas censuras et alia juris remedia compellendos esse, sed tandem etiam ipso munere privandos, ipsa hospitalia vero si nullum omnino usum habeant, fructus eorum in alium pium usum, qui institutioni propior sit et pro tempore et loco utilior, convertendos esse ab Ordinario, adscitis duobus de capitulo viris rei peritis.

59. "*S. Bubonis alias Boni.*" In catalogis Sanctorum plures inveniuntur nomine Boni; unius eorum memoria Kal. Aug. celebratur. Nomen Bubonis vero libros evolvendo nusquam mihi invenire contigit.

"*hospitalis S. Augustini.*" Ex familia Aug. plures ordines exstitere utriusque sexûs, qui hospitalitati ac curæ ægrotorum se dicabant; nomina vide in Helyot. hist. des ordres monastiques III c. 11. 19–23.

"*ordinum Viennensis dioeceseos.*" Intelliguntur sine dubio *Hospitalarii S. Antonii Viennensis*, conditi a. 1095 ad sublevandum ægrotos qui laborabant morbo, cui nomen ignis inferorum. Conditorem habent Gaston, virum nobilem Viennensem, qui ad hoc pietatis opus excitatus est animo grato ob filium unicum ex eodem morbo sanatum. Sancivit ordinem Urbanus II in conç. Claromont.; deinde Honorius III, quum antea congregatio fuisset ex laicis composita, litteris datis a. 1218 permisit, ut tria reli-

gionis vota membra ejus susciperent; quo factum est, ut transiret sensim sensimque in congregationem Canonicorum regularium S. Augustini. Vid. Helyot. II c. 16.

"*Seducensis et Terdonensis dioecesium.*" *Terdona:* Dertona, hod. Tertona, urbs Mediolanensis — *Sedunum* (nomen sine dubio ita corrigendum), hod. Sion s. Sitten, in Sabaudia apud Rhætos; in urbe utraque cathedra episcopalis.

"*S. Leonardi monasteriorum, ecclesiarum, hospitalium.*" Inter hæc notandæ: *S. Leonardi de Calmis* abbatia cisterciensis strictioris observantiæ in dioecesi Rupellensi Galliæ (commemoratur jam seculo 12mo). — *S. Leonardi de Nobiliaco* ædes et hospitium in dioecesi Limogensi. Nomen est viri seculo 6to florentis, magna miraculorum fama, dum vivebat et post mortem, inclyti, cujus memoria d. 6to Novembr. in liturgia rom. colitur. (vid. groszes univers. lexic. t. XVII p. 207, 12).

60. Scandalo piorum omnium fuerant jam per longam annorum seriem ii, qui munus profitebantur *indulgentias* aliasque sedis apostolicæ gratias promulgandi, ut eleemosynas exigerent sive ad basilicam S. Petri exstruendam sive ad loca pietatis et hospitalitatis condenda et sustentanda; qui sub specie religionis latentes fraudibus nullis parcebant, ut pecuniam plebis simplicitati emungerent. Itaque concilia oecumenica Lateranense a. 1215, Lugdunense a. 1274, Viennense c. 1311, Constantiense (Labb. XVI p. 1130. 1149) operam dederant decretis, ut impudentia quæstuariorum coerceretur. Martinus V vero, postquam in concord. german. art. 10 promissum est: "cavebit Dom. noster papa in futurum nimiam indulgentiarum effusionem, ne vilescant", in concord. gall., ambagibus missis, declaravit: "circa articulum indulgentiarum, habita deliberatione matura, nihil intendimus circa eas immutare seu ordinare." Denique vero, severitate aliqua opus esse, docuerunt reformationis in Germania et Helvetia initia; quare diplomate nostro id agitur, ut totum exactionum munus auctoritati episcoporum subjiciatur. Et in hoc quoque patribus Tridentinis nonnullis

vinum et subsistendum (Pallavicin. XVII. 10, 12); sed quum longe plurimi acrius insisterent, monentes ita fraudi et abusui novos aperiri aditus, decretum est: "quum de eorum (quæstorum) emendatione nulla spes amplius relicta esse videatur, ut posthac eorum nomen atque usus penitus aboleatur, neque ad officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur." Indulgentias vero aliasque spirituales gratias promulgandi atque pia caritatis subsidia colligendi facultas episcopis mandata est, "ut tandem coelestes hos ecclesiæ thesauros non ad quæstum sed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant, utque sanctarum indulgentiarum munus pie sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur" (sess. XXII de ref. c. 9. XXV decr. de indulg.). De quo Pallavicinus, perpetuus Sedis romanæ patronus et advocatus, observat: "usque adeo interdum oportet bona quædam (!) e medio tollere, quum pullulantibus inde malis plus ea detrimenti afferunt, quam si per se mala forent." (l. l.).

61. Qui prius Cappellani s. Auditores palatii apostolici, postea *Auditores sacræ Rotæ* dicti sunt (nomen videtur repetendum ex turno s. rota, qua vicibus alternis munere funguntur); qui numero duodecim tribunal status ecclesiastici et Curiæ rom. supremum constituunt. Eliguntur ex nationibus diversis: Romani tres, Bononiensis, Ferrarensis, Senensis, Perusinus unus, Venetus et Mediolanensis unus, ex Germania unus ab Imperatore designandus, ex Gallia unus, ex Hispania duo, a rege christianissimo et rege catholico proponendi (vid. Lunadoro della corte di Roma II p. 285-294).

62. In hoc *processu informativo* ab Episcopo in Ordinandos instituendo usum canone antiquo sancitum (dist. 24 c. 2. 5) Concilium Tridentinum innovavit, decernens ut Episcopos aliquot ante ordinationem diebus, adscitis aliis viris legis divinæ et ecclesiasticæ peritis, "Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter inquiret et examinet" (Sess. XXIII de ref. c. 5. 7. XXIV de ref. c. 18).

63. *"Clericali tantum charactere insigniti"*, h. e. *Clerici tonsurati non ordinati* (ↄ: qui nondum ordines susceperunt vel munus in ecclesia habent, sed signo tonsuræ prævio Clerici declarati sunt). Fruantur illi — bulla jubente — juribus et immunitatibus Clericorum, si vestes deferant clericales eaque servent, quæ de vita Clericorum honesta sancita sunt; sin secus faciant, beneficio clericali privati existimentur atque jurisdictioni seculari relinquantur. Similiter prælati Constantienses (Labb. XVI p. 1075, 78) et patres Tridentini decreverunt (sess. XIV de ref. c. 6), ut per suspensionem et, si semel correpti in pravitate persisterent, per privationem officii cogerentur personæ omnes ecclesiasticæ habitum clericalem portare, ordini ipsorum et dignitati congruum.

64. *Regulariæ Cancellariæ apostolicæ* dicuntur constitutiones a pontificibus factæ maxime circa modum et rationem de beneficiis providendi, dispensationes et absolutiones concedendi atque causas in foro tractandi. Exemplum primum eas colligendi Johannes XXII dedit (a. 1316–1334), in statum vero quo hodie valent redegit eas Nicolaus V (a. 1447–1455); numero LXXII sunt. Quamquam vero vim proprie non habent nisi vivente pontifice a quo editæ sunt, usu tamen receptum est, ut ab unoquoque pontifice quum creatus fuerit mox confirmentur; unde fit, ut vim quasi legalem habeant. Sanciuntur autem hac solenni verborum formula: "S. D. N. normam et ordinem rebus gerendis dare volens, in crastinam assumtionis suæ ad summi apostolatus apicem reservationes, constitutiones et regulas infra scriptas fecit, quas etiam ex tunc suo tempore duraturas observari voluit. Dicuntur regulæ illæ apud Nic. de Clemangis (de corr. eccl. st. c. 9) "captiosi laquei, quibus cavillosi curiales sophisticique jurium perversores ad exsuscitationem infinitarum litium contra jus et veritatem abutuntur." add. gravamina nat. germ. a. 1522 n. 20.

65. Inter litteras et rescripta sedis Apostolicæ *Breve* (nomen habet a brevitate) dicitur scriptura in causis minoris momenti emissa sive ex Cancellaria romana sive ex summa Poenitentiaria. Distinguitur a bullis

variis formæ externæ notis. Ita, omissa præfatione longiore, incipit a formula (nomine pontificis in fronte posito): "dilecto filio salutem et apostolicam benedictionem"; litteris describitur formæ minoris, cera rubra annuloque piscatoris consignatur, neque nomen pontificis habet sed signum secretarii subscriptum.

Mare magnum dicuntur usu nominis figurato amplissimæ gratiæ et privilegia fratribus mendicantibus concessa, nominatim litteris Sixti IV a. 1474, Julii II a. 1506, Pii V a. 1567 (magn. bullar. rom. ed. Luxemb. I p. 392; 96. 418. 477. II p. 243).

Indulta *confessionalibus* (apud nos Skriftestole) concessa, intellige facultates absolvendi in causis gravioris momenti, quæ ex jure canonum reservatæ erant judicio episcoporum.

66. "*Nuncii cum potestate Legati de latere*," licet distinguendi, prope tamen accedunt ad Legatos a latere, qui non nisi ex numero Cardinalium eliguntur, et nomen inde habent, quod a latere quasi pontificis dimittuntur, cui semper adhærere Cardinalium munus ac officium est.

67. Qui dicitur in bulla "*Regens de Latere*" idem esse videtur, qui nomine et titulo venire solet "Regens cancellariam"; prælatus est magnæ auctoritatis, qui locum tenet a vice-cancellario proximum; pertinet ad eum jus et officium corrigendi, qui in bullis et litteris apostolicis commissi fuerint errores scribendi. Plura de munere et potestate ejus exstant in reg. cancell. 69na.

68. *Poenitentiarius Magnus* semper Cardinalis est, præfectus collegio prælatorum, cui nomen Poenitentiaria; nomen indicat munus, quod in absolvendo et dispensando pro foro interno versatur in casibus iis, qui Sedi apostolicæ reservati sunt. (Lunadoro l. l. II p. 168-179).